tres, vestris assiduis precibus & hanc civitatem totam gravissimo bello implicitam, & hunc nostrum cœtum nominatim velim, ut Opt. Max. Deo pergatis magis ac magis commendare: eundem illum precatus, ut vos pro clementia singulari sua eximijs omnibus suis donis augeat: ut sinceram firmamq; tàm in doctrina sana, quàm ijsdem voluntatibus consensionem nostrã confirmet, vestris laboribus, & ovibus fidei vestræ commissis, quàm cumulatissimè benedicat. Genevæ die Iunij 24. Iohannis Baptistæ natalibus sacro, anni hujus vitæ meæ 72. termino, & subsequentis 73. initio.

FINIS.

tres, vestris assiduis precibus & hanc civitatem totam gravissimo bello implicitam, & hunc nostrum cœtum nominatim velim, ut Opt. Max. Deo pergatis magis ac magis commendare: eundem illum precatus, ut vos pro clementia singulari sua eximijs omnibus suis donis augeat: ut sinceram firmamq; tàm in doctrina sana, quàm ijsdem voluntatibus consensionem nostrã confirmet, vestris laboribus, & ovibus fidei vestræ commissis, quàm cumulatissimè benedicat. Genevæ die Iunij 24. Iohannis Baptistæ natalibus sacro, anni hujus vitæ meæ 72. termino, & subsequentis 73. initio.

FINIS.

LITERÆ

REGIS NAVARRENI DATAE AD TRES GALLIARVM ORDINES.

Quibus

Iudicium suum de rebus in Gallia post diem 23. Decembris Anni 1588. gestis, aperit: Et consilium interponit.

EX GALLICO NVNC PRIMVM CONVERSAE:

Et propter eximium ac singulare exemplum pietatis, sapientiæ, grauitatis, & modestiæ, typis expressæ.

THABIRANAE SAXONVM apud Bernhardum Petri. 1589.

LIT

REN

rum

de

bi

arum

lam vi

& pe

Quoti

quam

quidem

ret op

calamit

bercle,

successi

vti regi

feratur

in eum

vt eos

tos, &

LITERÆ REGIS NAVARRENI DATÆ AD TRES GALLIARUM ordines quibus iudicium suum de Rebus in Gallia possidendis, [illegible] Decembris Anni 1588. [illegible] aperiunt consilium interponit.

VIRI [illegible], *Quoties [illegible] mihi [illegible], [illegible] ennium [illegible] arum Galliæ [illegible], [illegible] lam vicissorum, [illegible], & per ea Iliadis [illegible], [illegible]: Quoties considero [illegible], quam verè Francis, [illegible] quidem [illegible], [illegible] ret optavi Galliam, [illegible] calamitates præsentes [illegible]: Et [illegible] berele, & temerarij, [illegible] successionis, metus [illegible], [illegible], vti regnum hoc in exterorum manus [illegible] feratur: Quoties hisce oculis, quos Deus in eum potissimum finem mihi largitus est, vt eos semper ad commoda patriæ meæ [illegible] tos, & ad horum malorum [illegible] di-*

rectos haberem, cogor eam intueri incendio conflagrantem, præcipuas eius columnas iam igni absumptas, splendidissimas quasq; vrbes in cinerem versas, & inter hæc cum deceret omnes certatim ad restinguendum incẽdiũ accurrere, aquã infũdere, semiãbusta flammis eripere (quod utinam per me fieri possit, nec ego amplius sim) necessitas mihi imponatur, vt coactus me ipsum ambu ram, defensioq; mei non minus mihi gravis & molesta, quàm inimicorum impetus & rabies reddatur: necesse est, me, vel inter quotquot vnquam fuerunt stupidissimos, maxime sensus expertẽ vivere, vel in dies singulos animum meum centies ijs doloribus, cruciatibus, & tormentis angi, quibus nulli dolores, nulli cruciatus, nulla tormenta componi possint, præsertim cum intelligam, horum malorum nefarios homines prætextum, q̃rere simplices & ignaros autorẽ me facere, adeoq; egomet ipse, etiamsi purgare me possem, caussam tamen esse non diffitear.

Sed quoties seorsim (saltem cùm tali seculo nasci me oportuit) rationes meas examino, & ante oculos mihi pono, quæ Deus

sub

ſub initium, medium tempus, & progreſſum poſtremorum horum motuum pro me præſtiterit, quàm luculenter de iuſtitia meæ cauſæ, & innocentia mea non apud Francos tantum, ſed exteros quoque, & longius diſſitos populos, non in animis amicorum meorum, ſed in ore etiam eorum, qui me minus amarent, non denique in promiſcuæ plebis opinionibus, ſed (ita mihi Deus teſtis) in ipſa regis mei anima & conſcientia teſtatus ſit: quod argumentis me illi curæ eſſe docuerit, cum miraculosè me contra eas copias, contra eas vires, quibus parem me poſſe eſſe nemo ſperaret, iam toties defenderit, protexerit, & tutatus ſit. Si me hercle, alius eſſem ab eo qui ſum, non minus mihi conditio & fortuna mea privata placeret, quàm recordatio & memoria publicæ grauis & acerba eſt. Nunquam viri amplißimi committam, nec poſſem, vt hoc faciam, nec patria mea unquam poſt me ibit, eius rationes ſemper mihi meis potiores erunt, adeoq; ſemper meæ priuatæ calamitates, afflictiones & miſeriæ patriæ meæ malis præcurrent. Inter hæc malatamen

gaudium meum dissimulare nequeo, quòd semper quotiescunque eius rei occasio se mihi obtulit, re ipsa verbis & scriptis ostenderim, quantum mihi tempestas illa calamitatum, in quam caeci impetu ferebamur, nisi exemplis docti tempestivè pedem referremus, displicuerit, eius rei vos omnes testes mihi estis, nec quisquam hodie tàm factiosus vivit, qui testimonium hoc mihi iuratus denegare audeat. Hac me adeò consolantur, ut mihi certò persuadeam, excepta mea causa innocentia, nihil aequè flexisse iram Dei in regem meum, nihil aeque eum permovisse, ut tutelam meam susciperet, cui si visum fuisset animum regis & vestrum eò inflectere, ut ad conventum, quem quidam vestrum Blesys apud regem instituerunt (pro ut fieri, uti mihi quidem videtur, decebat) vocatus fuissem, ibidem, liberè licuisset sententiam meã de utilitate regni promere, omnes demùm intellexissent, me non solum animo egregium studium circumferre, lingua praedicare, sed remedium etiam promptum in manibus habuisse, neque conditiones ullas lenocinio verborum adumbra-

tas

tas, quibus egomet estringi nollem, me proponere: sed contra adferre constantiam & indefessum studium ad Maiest. Regiæ regnique amplitudinem meo etiam detrimento stabiliendam: quotiescunque omnes idem volent, nihil opus erit quidpiam mecum paciſci, conſcientia mea teſtatur nihil mihi vnquam fuiſſe difficile, præter ea, quæ cum commodis patriæ & exiſtimatione honoris mei pugnarent. Sed cum hæc ita non ſint facta (quod Gallia forſan inter ſuos maximos errores numerabit) nec quiſpiam magis idoneus medicus reperiatur, quàm qui ægrotum amat: ego vel ſero vobis ea quæ officij mei, & ad honorem Dei, obſequium ſupremo mei Regis, utilitatemq; huius regni neceſſaria duco, aperire inſtitui, vt omnes huius regni incolæ audiant, & ad defenſionem meam ſtudium meum, & ex ſtudio inuocationem meam, omnes intelligant.

Priore loco ſtatum fortunæ meæ vobis ob oculos ponam, non ut me efferam (id enim quoties fecero, toties me Deus depreſſurus eſt) ſed vt ita eundē illū Deum, in quo fiduciam & ſpes meas collocatas habeo teſtor

& obteſtor) apud vos duabus me anchoris niti, vel extra fumum & vndam conſtitutum eſſe iactem? Sed duas vt res attentius conſideretis. Primùm conditionem funeſti huius belli, quàm iniquè comparata vtriusque partis vires, quantis viribus, quo ſucceſſu hactenus oppugnatus & petitus fuerim, vt ſaltem vnum hoc nullo affectu præoccupati introſpiciatis, Deum non ſine miraculo me contra tot coniuratas copias ſeruaviſſe, miraculum autem nunquam, niſi iuſtitia, cauſæ bonitas, innocentiaq; à meis partibus ſtarent, interventurum fuiſſe.

Deinde vt vos ipſimet iudicetis, nùm timor aliquis ſermonem hunc mihi exprimat, nùm (ne potius forſan, quàm hactenus habitus fui, tractet) abblandiar, nùm vicinæ cladis ſpecies, quæ mihi ob oculos verſetur, animum infringat, & non potius verus calamitatum patriæ meæ ſenſus, pacis amor, Galliæq; noſtræ amplitudo me in has voces prorumpere cogant? ò Vtinam me Deus nunquam exercitus imperatorem feciſſet, cum in fatis eſſet, vt tanti tyrocinium meum conſtaret. Citius vos abſolvero,

ſi ex

si ex vobis percunctler, quos amplius Duce Francia præter eos, qui contra me fuerunt missi, reliquos habeat? Vidimus proximo hoc quadriennio, decem regios exercitus, decem regios legatos, stipatos viribus & opibus primi in orbe Christiano regni. Putatis fortè rem mihi illam gloriæ esse? fallimini: Dicam vt opinionem illam vobis excutiam. Ex decem istis exercitibus, cum vno tantum mihi negotium fuisse, aduersus quē aciem instruxi, & collato pede pugnaui, in eo profligando solūmodo Deus mea opera est vsus, reliqui omnes vix ullo labore meo, priusquam me viderunt, profligati & dissipati sunt, & vix fama aduentus eorum nuncium cladis præcurrit. Angelus & virga Dei, quò minus mihi nocerent prohiberunt, nulla eius rei gloria mihi debetur, nihil de meo adiunxi. Certiora ex earum prouinciarum legatis quærite, in quibus purioris religionis homines habent locum aliquem refugij. Comparate priora tempora ante hoc bellum cum hodierno rerū statu, & videbitis cui bono tot hominū myriades perierint, tot sumptus profusi, quibus vix Indiæ mon-

tes sufficiant, clades & interitus populi Francici, quem minus gravatè lanienæ obiecerunt, quàm si de delendis Ottomanis, vel de adiectione totius Europæ ad imperium nostrum deliberatum foret. Hæc si consideretis, fieri nequit, quin obmutescatis & agnoscatis effectus extraordinarios, proficiscentes ex causa extraordinaria, quæ omnia sicut merito manus vestras cohibere, oculos vestros distinere, & confessionem frustrà vos contra Deum niti exprimere debent, ita vicissim decet me manus in cœlum attollere, cavere ne prospero successu elatus superbiam, Deo victoriam ascribere, ne si secus faciam, Deus oculos à me alio avertat, & intra duos menses feliciores successus hostibus contra me, quàm mihi toto hoc quadriennio ex singulari sua benevolentia largitus est, concedat. Sed eius favori innixus, nunquam committam, ut me efferam. Ideo si desidero, ut hæ literæ per omnem terrarum orbem mihi testes sint, hodierno die me non minus esse promptum & paratum, quàm nunquam antehac, efflagitare à Domino meo rege pacem, quietem sui regni, & meam. Principio

cipio huius belli rationem tantùm habui conscientiæ & existimationis meæ. Ea vt mihi servarentur integræ, supplex semper à Regia Maiestate contendi: bellorum progressus studium istud meum nihilo imminuit: nihilo etiam quamobrem difficiliorem me reddam, animum meum immutavit. Eadem itaq; illa rursum regem oro & obtestor. Redeo ad vos viri amplis. qui si regem amatis, si eius regnum vobis curæ est, si eiusdem mala & remedia non ignoratis, hoc legatis vestris, qui huic conventui interfuerunt, præcipiendo in mandatis dedistis, vt hinc deliberationes suas auspicarentur, hinc easdē concluderent, quod vt fiat, etiam atq; etiam vos oro & obtestor. Non me latet mandatis eos potuisse adjicere tritū hoc axioma: In vno regno vnam tantum religionē coli debere, adeoq; Reipublicæ fundamentum & basin esse pietatē. Eam ibi nullā dici posse, vbi Deus diversis ritibus, & consequenter perperam colatur: hoc ita se habere concedo, & magno dolore meo plurimos mortales idē hoc quærētes: paucos qui medicinā adhibere velit, video. Quantū ad me attinet, rationi

&,

& equitati me semper obsequi velle prædicavi, & etiã nũ prædico: vulgatã in huiusmodi rebus viã sequamur, sin alia minꝰ vulgata supersit, per me quærere licebit. Ego interim & quotquot sunt reformatæ relligionis homines, nos semper decretis liberæ synodi subijcere sumus parati. Compendiosa & vnica hæc est via, hæc sola ab omni ævo trita est: hanc si ingrediamur, patientur nos condemnari. Errat (ita me Deus amet) & res ipsa clamat, si quis credat vi & minis à nobis aliud extorqueri posse. Longiorem hac de re sermonem instituere non est opus, iam sæpius eadem pertractata sunt. Sæpè me, religionem meam mutare voluerunt. Sed quomodo? Adhibitis semper minis tanquam sub carnificis manu. Etiamsi conscientiæ meæ nullam habuissem rationem, honoris tamen mei, vt ita loquar, respectus, quò minus id facerem, me deterruisset. Quis vnquam fando audivit, Turcam vel Ethnicum aliquem, Ethnicum dico propter relligionem, priusquam, an posset converti tentatum esse, occisum fuisse. Non puto hostium meorum quenquam tàm acerbum esse

esse, qui me longius à vero Dei cultu & cognitione, quàm Turcam abesse existimet, severius tamen mecum, quam cum Barbaro agitur. Quale de me iudicium ferrent quantumvis catholicæ religionis studiosi homines, cùm iam triginta annos, vno & eodem modo vixerim, si subitò spe regni permotus relligionem mutavero? Quid dicent illi, qui me semper constantem & animosum in periculis viderunt & experti sunt, si turpiter eos ritus, quibus Deum ab ipsis incunabilis ritè colui, nunc metu fractus deseram? En rationes prophanas, & quæ ad honorem mundi tantum spectant: Nunc tandem seriò: Quænàm demum esset illa conscientia, si quis in fidei alicuius professione educatus, doctus, & imbutus, priusquam melius aliquid intelligat, aliquid vicissim de suo obiiciat, subitò nulla de causa in alias partes transgrediatur? Absit viri amplissimi: Nunquam Rex Navarrenus tale quid committet, non si triginta regnorum præmium proponatur, nedum vt vnius futuræ spes eum commoveat. Docete me, non sum obstinatus, hanc viam si ingrediami-

mi

ni, plurimum profectò proficietis. Nam si aliam veritatem me docueritis, cedam: & amplius: spero me neminem eorum, qui idem mecum profitentur, post me relicturum, quin una partibus accedat. Ita enim uno magnũ Deo, magnũ conscientiarum lucrum facturi estis: Sed ut nudis absq; ullo pondere verbis solo fremitu persuadeamur, vos ipsmet an æquum sit iudicate. Sed transeamus hæc, si simpliciter salutem meam desideratis, cui quod vobis gratias agam, in vero conversionẽ meã ideo tantum optatis, quod, ne vos aliquãdo cogam mutuitis, multũ profectò erratis. Vitæ meæ institutũ repugnat, consuetudo mea, qua inter amicos & inimicos tẽpore pacis & belli utor, ingenij mei fidẽ facit. Idem testabuntur urbes, quas non ita pridem in fidẽ meam recepi. Non sit verisimile, exiguã meæ professionis hominũ manũ posse infinitam Catholicorum multitudinem ad ea cogere, ad quæ infinita illa multitudo exiguam illam manum cogere nequivit. Si ego tam tot annos cum tam infirmis copijs causam hanc defendi, quid tandem facturi sint, qui tantis opibus, tantis

tantis viribus integri, debili meæ & fractæ violentiæ obsisterent? Nulla in tali consilio esset prudentia, nec id nunc agitur. Non sum meo laus eo loco, vt vobis hactenus benè vel malè facere possim, nec Deo volente vnquàm fiet, vt mihi eius rei experimentum, vobis metus imponatur. Habemus regem, qui si senio defectus obierit, si vixero, non longè ab eadem meta abero. Ne nos adeo torqueamus de re futura & incerta, vt præsentem quæ nos vrget, negligamus.

Deus hoc tempore detexit consilia eorum, qui poterant nocere rebus Galliæ, aperuit vlcus nostræ Galliæ, id nostrûm nemo, nemo Francorum ignorat. Quæ est hæc insania, plebeios & nobiles, quotquot sunt, omnes promiscuè videre malum, detestari ciuilia arma, ea vocare febrem continuam & lethalem huius regni, hactenus tamen extitisse neminem, qui de medicina adhibenda verbum faceret. In toto illo solenni Ordinum conuentu repertum neminem qui auderet sacrosanctum istud pacis nomen proferre, nomen istud pacis inquam, quod solum intra se salutem huius

regni

regni includit. O admirandum & fatalem ſtuporem, certiſſimum præſagium & teſtem declinationis huius regni, quam imminere Deus nobis non obſcurè oſtendit. Periculoſiſſimè Reſpublica noſtra laborat, hoc omnes vident, ex ſignis agnoſcunt, & fatentur cauſam mali, civilia arma, morbum ferè incurabilem & deſperatum, à quo nulla vnquam Reſpub. ſalva evaſit, vel ſi fortè evaſit, & apoplexia illa, non planè eam occiderit, deſinit vt minimū in paralyſin & reſolutionem dimidij corporis. Quid ergo remedij? Nullum niſi pax, quæ ſtabilit ordinem in animo regni, & per ordinem afflictas naturales eius facultates, amiſſaſq; vires reſtituit, quæ per ordinem, inobedientiam, prævoſq; humores expellit, corruptos purgat, puro ſanguine, ſalutaribus nempe ſtudijs & obſequijs, quæ fugientem vitam revocant & reſtituunt, implet. Pax eſt, pax eſt, quam tanquam vnicum remedium, tanquam ſolam medicinam nos à Deo exorare oportet, ſi quis aliud remedium adhibeat, dum curare ſe fingit, cicutam infundit.

Obteſtor

Obteſtor itaq; vos omnes hoc ſcripto, ſive Catholicos Domini mei regis, ſive quoscunque alios fideles ſubditos & miniſtros, vos inquam omnes vt Francos appello, vos obteſtor, vt vos huius Reipub. id eſt veſtri miſcreatur, cuius fundamenta cuniculis ſi ſubvertatis, ruina vos haud dubiè oppreſſura eſt. Et quamvis vi vos mihi neceſſitatem imponatis videndi, patiendi, faciendiq; talia, qualia niſi in bello, millies malim emori, quam videre, pati & facere. Nihilominus vos obteſtor, vt nunc tandem ſemel exuatis miſerandum iſtud belli & violentiæ ſtudium, quæ præclariſſimam hanc Rempub. diſſipãt & lacerant, quæ nos omnes, quoſdã vi, alios ſponte ab obſequio noſtri regis abripiunt, nos mutuo ſanguine inficiunt, tam toties exterorum fabulis & ſcommatibus expoſuerunt, adeoq; tandem illis prædæ, vt victoriarum eorum titulos augeamus expoſituræ ſunt. Simultates inquam & odiorum acerbitates deponamus, easq; deſiderio pacis, ſtudio obſequy & amore concordiæ, per quam parvæ etiam Reſpub. creſcunt, adeoq; noſtra per tot annorum ſpacia incolumis ſtetit, commutemus.

Infinitas privatim causas de Guisiorum familia conquerendi me habere, nemo est qui ignoret: quamvis Gallia multo insliores habeat. De Guisys dico, cognatis meis, & quidem tam propinquo cognationis gradu coniunctis, vt excepto familiæ meæ nomine, nullos habeam propinquiores: Deum tamen testor, me graviter indoluisse, postquam vidisem eos Labyrinthum ingressos, vnde illæsa honoris existimatione non possent se expedire. Deum testor, si cognovissem eos idoneos & vtiles regi, possem etiam dicere mihi, cum illis honorificum sit, me sanguine contingere, & ego illos dignitate & gradu præcedam, me gavisurum fuisse, si egregia animi dotes, quibus eos Deus & natura ornavit, ad vtilitatem & ornamentum eorum quibus obsequium & animam debent, impendissent: Cum contrà nunc prævis consilijs impulsi præcipites abripiantur: quicunque alius præter me, rideret eorum infortunium, indignationem regis inflammari, edictum regia in eos stringi, regios denique exercitus contra eos solos converti gauderet. Nec vera non possum latari, nec lætor nisi quantum ex duobus malis minimi optio mihi concedit.

concedit. Ingenuè itaq; primum me ipsum, deinde illos, ne vtrinq; quod excusemus restet, compellabo. Ne superbiamus. Quod ad me attinet, quamvis toto hoc bello Deus me maiore, quàm superioribus omnibus fauore sit prosequutus, duæ reliquæ factione (proh dolor, quòd iis nominibus vti nos cogit necessitas) viribus imminutæ, meæ autem partes, vti quidem videtur, firmiores sint: certus sum Deum non amplius rebus meis propitium fore, quoties limites officij mei transiliã, toties autẽ eos trãsiliam, quoties sponte non coactus regem meum oppugnabo, & quietem sui regni interrumpam. Similiter Guisy qui hoc proximo quadriennio arma paci prætulerunt, qui primũ pacem regni turbaverunt, tertiam hanc factionem tam indignam Francica fide, dicam etiam eorum maioribus, introduxerunt, cum Deus eos iusto suo iudicio doceat ea quæ fecerunt sibi displicuisse.

Et rex, vt ipsemet profitetur, toto animi conatu hoc agat, vt eos resipiscentes in gratiam clementer recipiat. Abstineant. & sufficiant calamitates & mala, quæ intulimus & pertulimus. Totos

quatuor annos ebrij, furiosi & rabidi obseruauimus, tandemne satis est? nonne Deus hos & illos satis afflixit, vt veternum mostrum excuteret & cautiores faceret, rabiem denig. nostram sedaret?

Post omnia si mihi concedatur tanquam deuoto & fideli regis Domini mei clienti, salutare aliquod consilium illis qui illi à consilijs sunt dare, dicam. Quis vnquam intellexit, rempublicam aliquam in qua duæ armatæ factiones vigerent, diu potuisse stare? Quid tandem nostræ in qua tres sunt, fiet? Quisnam illi potest esse auctor, vt bellū ciuile & quidē contra duas factiones vno eodemq; tempore gerat? Nulla exēpla, nulla historia, nulla ratio in eo felicem exitum promittunt. Necessitas eum cogit pacem, & quidem vniuersalem cum omnibus vtriusq; factionis & religionis subditis facere, vel saltem eos qui minus ab obsequio suo deuiarunt, sibi adiungere. Hinc omnes de animo meo iudicent, videtis me pro malo bonum reddere, & quibus demum artibus animum regis contra subditos suos, egregij istius (si Dijs placet) fœderis socios inflammare conor. Interim tamen viri amplissimi, constat inter omnes

nos

neq, vos ignorare sit verisimile, si regi in hac necessitate constituto suppetias tulero (quas nunquam quoties hoc me facere iubebit illi denegabo) me posse quantum humano quidem iudicio colligi potest, consilia adversariorum turbare, res eorum in arctum redigere. Nunc cæteros omnes nostræ Reipublicæ homines appello. Vos inquam qui spectatores fuistis nostræ insaniæ Appello, nobilitatem nostram, ordinem nostrum Ecclesiasticum, vrbes nostras, plebem nostram, vos inquam omnes appello & alloquor. Considerate quæso, quò nos tandem præcipites ruimus. Quod si quærat nunc Francia, Quænam Reipublicæ nostræ facies futura est, si malum hoc diutius grassetur? Quid tandem nobilitati fiet, si reipublicæ forma mutetur, quod proculdubio futurum est, sicut vos ipsi videtis, si vrbes factionum metu se mœnibus continere, neminem sibi præesse pati, Helvetiorum more Rempub. instituere cogantur? Neminem hactenus eius sententiæ fuisse planè mihi persuadeo, sed bellum tandem eos eo adiget, & magno dolore meo eius mali principia me videre non vana coniectura auguror, quæ prima facie mellita &

dulcore quodam inescato optimorum quo-
civium animos titillant. Quid vrbibus fiet, si
inani libertatis nomine decepti, vetustissimã
florentissimæ huius Reipub. ordinem invert-
erint, nobilitatem abalienatam & inimi-
cam reddiderint, Agri omnes Galliæ di-
reptioni & prædæ earum inhient, omnes
denique tanquam ad paratas divitias ad ex-
pugnationem earum accurrant.

Quid facient primi vrbium incolæ,
quibus Monarchiæ omnia, vt sunt quæstu-
ræ, iurisdictio, ordo politicus, armorum cu-
ra, commissa sunt? Expendant quæso sin-
guli domesticæ fortunæ rationes, sua stipen-
dia numerent, omnia hæc plane sunt peritu-
si Monarchia perdatur. Quis civibus se-
curitatem præstabit mercaturæ? Quis eo-
rum possessiones in agris defendet? Qui
auctoritatem iustitiæ tuebitur? Quis decreta
conscribet? quis armis præerit? denique
quæ erit tota rerum facies? Miseri. Hic furor
ad duos menses forsan durabit, non aliter
quàm febris, quam dicunt nutrire ægrotum
ad tempus. Stultitia est, sperare fortunã
iræ & vindictæ motibus posse superstrui
certam aliquam & durabilem Reipub. for-

mam. Fieri hoc nequit. Experientia & Hiſtoriæ teſtantur, mutationem Reip. ſemper vaſtitatem vrbium tanquã præcipuarum Reipub. futurarum ſecum trahere. Deniq; ô Plebs qualisnã quies diviſis vrbibus & nobilibus tibi erit reliqua? ô Plebs, horreũ regni, fertiliſimus proventuum huius Reipub. ager, cuius labor cibus, ſudor autẽ potus eſt principum, cuius artes eos nutriũt, induſtria autẽ delicias miniſtret, quodnã tibi refugiũ patebit, quando nobiles te opprimunt, quando vrbes vectigalibus te exhaurient? Ad regem ne? qui neq; his neq; illis imperabit: ad Iuſticiæ adminiſtros? at vbi eorum erunt? ad legatos regis? ſed qualis eorum autoritas? ad vrbis conſulem? Quid illi iuris erit in nobiles? Quis tandem inter vos ordo? quocunque te conferas, calamitatum, confuſionum, miſeriarum omnia plena. En egregios belli huius fructus. De Eccleſiaſtici ordinis hominibus ſtudio aliquid dicere ſuperſedeo, ne quidquid hoc ſit, quod dicturus ſum, dum me in ſenſorem, quam revera ſum, hoſtem ſuum exiſtimant, id. rejiciant. Et vt verum fatear, iuſtius de illorum ordine, quàm de reliquis duobus Franciæ ordini-

bus mihi queri licet. Sed nihil me iſta mouent. Sunt & inter eos viri probi. Quod ad profeſſionem fidei & religionem attinet, in quibusdam fidei articulis mihi cum illis non conuenit, in pleriſq; eiusdem ſumus ſententiæ, præcipuè quod ad cõſeruationem priuilegiorũ, Gallicanæ Eccleſiæ contra vſurpationem Paparum attinet, inimicum autem me illis nulla in re profiteor. Sed quidquid hoc ſit, tranſeo. Nam nulla in toto terrarum orbe poteſt eſſe tam grauis ſimultatum cauſa, quam non volens & libens dimittam grauiſſimo hoc regis & patriæ meæ diſcrimine admonitus: Attamen quid ſperent non video, bellum volunt & perſolui ſibi decimas per prouincias, in quibus plurimùm valent? In ijs interim locis, vbi meæ partes potiores ſunt, omnia amiſſuri ſunt, nec illi incommodo poſſem adhibere remedium? Tandem bello omnes Galliarum partes pervagante, quorſum euaſuri ſumus? Attentius quæſo conſiderent, quò vrbes noſtræ, quò populus noſter, quò nobilitas noſtra ruant? Illi inquam, quibus pietas cordi eſt vel ſaltem cordi eſſe deceret æſtiment, quanam alia res vlla magis pietati repug-

nat,

nat, quàm vitia & perditi mores. At nihil æquè hominum mores corrumpit, quam armorum ciuilium licentia. Cogitent etiam quos ſola pax, quos obſequium erga reges noſtros, maiorum pietas & deuotio euexit & ditauit, eos iam rurſus per bellorum impietatem, inſolentiam adeoq; omnium rerum vaſtitatem ad paupertatem paulatim redactum iri. Cum itaq; nunc ad ſingulos hominum ordines verba fecerim in genere hoc adhuc addam. Si Deus propitius regem noſtrum reſpiciat, vt quotquot ſunt rebelles feliciter deuincat, miſer eſt. Si neceſsitas eum adigat, vt omnes meritis ſupplicijs afficiat, actum erit de plurimis vrbibus, de vita plurimorum ſubditorum. Nimiũ iſtud eſſet, magnaq; regni calamitas. Fuit fatalis ille furor, quem Deus vt peccata noſtra puniret immiſit: æternæ oblivioni tradenda ſunt omnia, nec minus ignoſcendum populo noſtro, vrbibus noſtris, quàm furioſo ſi te pulſet, quam inſano, ſi nudus obambulet. Sin vero confœderatorum vires in tantum excreſcant, vt regi reſiſtant, quod mihi non adeo eſſet novum, vehemẽter tum ſuſpicor regis patientiam fomẽtum eſſe

illorum amentia & furoris, Deo hoc ita fieri permittente, vt nos puniat, interim quid nobis & illi fiet, ignoramus. Quid dicam de nomine Francico? Quanta infamia, si reges nostros expulerimus? Nunquam tàm tetra labes famam maiorum nostrorum aspersit. Fides nostra sola est, de qua supra omnes Europæ populos hactenus gloriamur.

Interea sollicitè angor: me cogi tanquam spectatorem ociosum assidere, coactus sum invitus arma capere: contra quem nunc ea convertam? Contra regem meum? Deus animum eius inflexit, causam meam contra confœderatos tuendam suscepit. Eum ne ego vt ad desperationem adigam? Quid tum? an decet me, qui pacis Francis volo esse autor, regem in confœderatos concitare, mearumq; copiarum adiectione illi voluntatem, his pacis spem excutere? Videte in quo vado hæream, si ociosus spectator tantum assideam, aut denuò mei capitis periculo sicut iam bis terve fieri memini, pacem facturi sunt, aut ita regem suis viribus denudabunt suamq; factionem augebunt, vt post eius perniciem nec vires super futuræ, neque

studia

studia hominũ ad futura sint, quibꝰ meã salutẽ tuear. Vos nunc appello viri Amplissimi, quos scio tamen non eiusdem esse voluntatis. Literæ regis præsertim postremæ hoc apertè profitentur: plerosq́; imò maiorem fere partem vestrorum legatorum: non in regis, sed aliorum partibus stetisse. Si vel mediocri iudicio præditi estis, videtis proculdubio, in quanto periculo ego verser. In non minori versatur rex ipse. Tertia factio, vos deniq́; omnes cuiuscunq́; conditionis sitis, Omnes eadem domo, quæ ruinam minatur concludimur, eadem navi quæ naufragium patitur vehimur. Nullum remedium præter pacem super est, frustra aliud quæritur, cæteræ spes fallaces sunt: Eam ut semel concludam, ego vobis omnibus melior (verè hoc dico) & cuius plurimum interest, Primus à rege Domino nostro nomine omnium postulo. Peto enim pacem pro me, pro sacri fœderis socijs, pro Francis omnibus, pro Gallia deniq́; universa, quicunq́; eam alia conditione concluserit, is Reipublicæ, male consulit. Obtestor, me multo quam unquam ante hac fui tractabiliorem futurum:

Si

si vnquam fui difficilis, volo deinceps obsequio & fide erga regem meum certare & alijs exemplo esse. Cum itaq; toties vobis ea quæ ex officio meo esse existimavi, declaverim, iteratò idem sub finem orationis mea declaro. Primùm vobis, quicunq; regiarum partium studium præ vobis fertis, nisi sacrosanctum hunc consensum, non bellum inferendi confœderatis, non Lotharingis, non Parisiensibus, non Aurelianensibus, non Tholosatibus, sed pacem abnuentibus, debitumq; huic coronæ obsequium denegantibus, approbetis: vos solos futuros calamitatum regis & Reipub. reos: & eadem via me meo officio defunctum omni culpa & fide erga regem meum liberari, cuius etiam inviti salutem, quantum potero, tueri non desistam. Venio ad eos qui soli sacri fœderis nomen & factionem tuentur, Eos vt Francos obtestor, libenter etiam illis imperarem pro meo iure, vtpote quibus honori est me sanguine contingere, & quorum maiores, magnæ gratiæ loco hoc imperium meum accipere duxissent, si minus me agnoscunt, nihilominus eius rei certus sum me post regem primum esse Principem, primumq;

mamq; totius Franciæ magistratum. Statum suarum rerum quæso agnoscant, æquo animo sua detrimenta ferant, sicut ego vicissim feromea, privatas spes publicæ saluti postponant, simultates suas, odia, vindictas, ambitiones communi matri Galliæ, obsequio regis, propriæ quieti & nostræ condonent. Si secus faxint, spero Deum non defuturum regi, & opus suum, quod in ipso auspicatus est, ad optatum finem deducturum, eiq; animum daturum, fideles suos ministros, meque inter primos ad se accersendi: Vnus ille titulus mihi sufficit, iusticiaq; causæ confisus eas vires & copias haud dubito mihi affuturas, quibus illi non tantum præsidio esse, sed etiam adiuvare ad eorum memoriam tollendam, & factionem stirpitus ex Gallia extirpandam potero. Tandem post hanc tam solennem meam protestationem ius defunctus meo officio, si intelligam hos & illos tam securos vel malè affectos vivere, vt nemo commoveatur, Deum testem præcedentium mearū actionum in auxilium futurarum imploro, & verus regis minister, verus Francus, dignus hoc ordine quem tero, primus huius regni princeps, quantum-

vis

vis coniuratus orbis in huius Reipub. perniciem conspirarit, mecum Deum, & homines testor, pro eius incolumitate & salute etiam millies si fieri possit, sanguinem profusurum, & ad extremum spiritum dimicaturum esse profiteor & spondeo. Ad auxilium meum invoco omnes, cuiuscunque ordinis vel conditionis homines qui idem meum optant, confisus si Deus huic meæ deliberationi benedicat, tantum fidei in exitu belli me omnibus ostensurum, quantum animi in suscipiendo negotio affero, semperque me redditurum esse regi meo obsequium, patriæ meæ pietatem, mihi ipsi denique quietem, animique tranquillitatem coniunctam cum bonorum omnium libertate. Interea, donec Deo visum fuerit, regi meo negocia singula regni disponendi, pacemq; tam necessariam stabiliendi otium concedere, ego vt qui in hoc regno sub regis obsequio post regem primum locum tenco, declaro, omnibusq; denuncio: Quod si forte per absentiam Regis non possem illi in omnibus tam feliciter operam meam navare, vt eum per omnes regni provincias restituam, dabo tamen operam vt vbicunque potero auctoritatem

ritatem eius stabiliam. In eum finem in fidem & clientelam meam recipio omnes cuiuscunque ordinis, religiõis vel conditionis fuerint, nempe nobiles, Ecclesiasticos, plebeios, quotquot se mihi ad sanctum hoc opus perficiendum coniuncturi sunt, neque permittam personis & bonis eorum vim aliquam adferri, non secus quàm in profunda pace & ex legibus regni moris est.

Et quamvis hominum nemo amplius hoc religionis dissidio commoveatur, quive maiore studio idoneum aliquod remedium exoptat, agnoscens à Deo solo non ab armis & violentia id expectari debere, protestor coram Deo, existimationem quoq; & fidem meam, quam hactenus religiosè Dei auxilio fretus servavi, huic protestationi interpono, sicut nunquam conscientiam meam cogi passus sum, ita vicissim me nunquam permissurum vel passurum, vt Catholicorum conscientiæ vis inferatur vel vt liberum religionis exercitium illis auferatur. Præterea polliceor, me non toleraturum in vrbibus, quæ mecum se ad sanctum hoc opus coniunctura, seseq; regis

Domini

Domini mei obſequio & meo ſubiectum ſunt, quidpiam in rebus politicis vel Eccleſiaſticis innovari, niſi quantum ſingulorum libertatem ſpectant, eoq; nomine denuò in tutelam meam recipio, perſonas & bona Catholicorum, Catholicorum dico. Iam pridem edoctus veram & vnicam rationem populos ad cultum Dei conciliandi, pietatem ſtabiliendi eſſe clementiam, pacem, ſalutaria exempla, non bellum neq; omnium rerum promiſcuam confuſionem, ex quo fonte omnia ſcelerum & flagitiorum propago in mundo redundat.

Actum Chaſtelleraud. 4. Martij.
Anno 1589.

PHILIPPI MELANCHTHONIS
ad
DOCTOREM ALBERTVM HARDENBERGIVM
EPISTOLÆ.

Primum nunc in lucem editæ
opera & studio
CHRISTOPHORI PEZELII
Theologiæ Doctoris.

BREMÆ,
Excudebat Bernhardus Petri.
M. D. LXXXIX.



Clariſs. & Ornatiſs. viris D. DANIELI BVRENIO: & D. HERMANNO SCHVMACHERO: Inclytæ Reipub. BREMENSIS Conſulibus, Dominis & amicis ſuis honorandis.

S. P. D.

EST VIRI CLARISS. naturæ vis, is ſenſus in bonorum animis, vt amicos, quos veta ac conſtanti benevolentia complexi ſumus, & vivos amemus: & mortuos charos habeamus. Hinc & officia amicitiæ mutua inter ſuperſtites: & deſiderium, ac memoria jucunda & grata defunctorum, quoties vel ipſi, ſponte noſtra, eorum recordamur, vel mentionem eorundē honeſtam ab alijs fieri cognoſcimus.

Nec verò dubium eſt, quin ſenſus hic naturæ inſitus, penitusq; infixus propterea ſit: vt Deum agnoſcamus autorem eſſe conjunctionis animorum, quæ eſt in hac vita vinculum humanæ ſocietatis præcipuum: & ad ſpem ac deſiderium vitæ illius immortalis ac beatæ excitemur: de qua nos recordatio amicorum mortuorum non ſine ſenſu ſuavitatis ſubinde admonet.

Nam vt στοργαὶ & benevolentia in animis non extinguuntur morte amicorum: Sic illo ipso sensu naturæ convincimur, post hãc mortalem vitam restare aliam: In qua rursùm complectemur amicos ornatos luce divina, & collocatos in agmen beatorum, cum quibus, in illa dulcissima cum Deo consuetudine vivemus in omni æternitate, fruentes conspectu & colloquijs mutuis, & sincera ac perpetua animorũ στοργῇ copulati erimus.

Hanc æternitatem intueamur, ad quam conditi sumus, quoties naturæ sensus jucundam & gratam nobis memoriam renouat amicorũ, qui hac mortali vita defuncti sunt.

Scio autem, Vtriq; vestrum, & amicitiam dulcem fuisse, cum viro Opt. ac integerr. Doctore ALBERTO HARDENBERGIO, & recordationem memoriæ illius adhuc esse gratissimã. Quos vicissim ille, dùm in viuis erat, alterum quidem, vt Patronum & amicum summum, vera animi obseruantia coluit: alterum verò, vt Filium dilexit, & honorifica prædicatione publicè priuatimq; alijs commendauit.

Fuit eidem D. Alberto amicissimus PHILIPPVS MELANTHON, totius Germaniæ quondam præceptor, quem & vos docentem olim audiuistis, & doctrinam ac scripta eius etiãmnum magnifacitis, & memoriam meritorum eius pia animorum affectione colitis.

Huius

Huius ad D. Albertum Epistolas diuersis temporibus scriptas, cùm ante multos annos amici mecùm communicassent, ex autographis descriptas, honestis de causis publici tandem juris facere visum est.

Quia & hoc fine ad me missæ jam pridem fuerunt, vt ederentur, & ego eas dignas esse semper judicavi, quæ lucem publicam aspicerent, & lectionem harum bonis & candidè judicantibus vtilem & suavem fore confido. Sunt enim testes amicitiæ non vulgaris, & consensus de doctrina Christiana: inter duos illos summos viros. Quos non quidem desinunt etiam mortuos convicijs proscindere, qui viuos eos oderunt: Sed quos jure ac meritò inter lumina Ecclesiæ illius temporis habendos, & de Ecclesia Christi optimè meritos fuisse res ostendit, Etiamsi, vt Reuerendi D. Lutheri verbis de Philippo Melanthone vtar, irascatur Saran & omnes Squamæ eius.

Vt autem Callimachus optabat in scriptis suis Charites, seu Gratias abluere manus suas: Sic mirifica inest suavitas Epistolis Melanthonianis, tùm propter genus orationis familiare & perspicuum, tùm ob dulcissima [illegible], quæ lectori non hebeti melle & nectare suaviora sunt, & quasi ex Charitū manibus in scriptiōes Philippicas destillasse, videri possūt.

Sunt & historica multa istius temporis aspersa: Et lucent in Epistolis illis exempla plurimarum

plurimarum virtutũ, flagrantium in pectore Melãchthonis, cùm adhuc superstes esset, Ardentis pietatis erga Deũ: Curæ & solicitudinis pro Ecclesia & posteritate: Sapientiæ & moderationis in dandis consilijs: Studij tuendæ ac retinendæ veritatis & concordiæ inter docentes: Modestiæ in requirendis bonorum & doctorum judicijs in magnis causis: Candoris & integritatis in judicandis aliorum voluntatibus & factis: Odij sophisticæs. Quas virtutes, si multi imitarentur, neque veritas tantoperè laboraret in tanta luce doctrinæ Euangelicæ; neq; Ecclesia tàm tristibus dissidijs dilaceraretur, siue pertinaciæ tuendi anteceptas opiniones, siue malenolentia & odio aduersum rectè sentientes, siue alijs quibuscunq; pravis affectibus plurimorum.

Sed & judicia quædam Epistolis his inserta sunt, quæ viam mõstrant dijudicandi cùm alias nonnullas controversias agitatas nostris temporibus, tùm hanc, quæ est de Eucharistia, de qua toties monet D. Philippus antiquitatem orthodoxam consulendam & cum Scripturæ testimonijs conferendam esse: Aqua cùm dissentiat ἀρτολατρεία, id est, imaginationes de inclusione corporis Christi in panem aut speciem panis, cogitari oporteat, nùm licuerit Pontificijs mutare doctrinam veterem, & novas ac prodigiosas opiniones invehere

invehere in Ecclesiam: Et nùm deceat eas obtrusas orbi Christiano sub Papatu, etiamnùm retinere ac defendere in Ecclesijs Evangelicis.

Quanquã verò non difficile mihi fuisset, plerasq; has Epistolas ad ordinem seu seriem annorum, quibus scripte sunt, accommodare: tamen quia & varietas materiarũ, in hoc genere librorum jucundior esse solet, & cuiq; judicium liberum relinquendum est æstimãdi de tempore scriptæ vnius cujusq; Epistolæ, cui ab authore aut nunquam, aut rarò adscriptus est numerus anni: Retinendam eam seriem putavi, quæ erat in exemplari ad me missо ab amicis. A quibus cùm expectem plures alias Epistolas Domini Philippi, quarum selectiores peculiari opera deinceps colligere decrevi: Visum est nunc ab his ad Doct. Albertum Hardebergium literis ordiri, vt institutum hoc meum innotesceret cùm alijs, qui fortè simile aliquid aggredi in animo hãbent: tùm Clariss. inprimis & Præstantiss. viro D. Caspari Peucero, Magni illius Melanthonis genero. Quem Deus Opt. Max. vivum speculum suæ præsentiæ, bonitatis, ac potentiæ, seculo nostro proposuit, ceu Danielem alterum, in lacu leonum servatum, de quo scriptura affirmat, non fuisse in eo repertam læsionem, quoniam credidit Domino Deo suo, videlicet in edenda confessione veritatis, & sustinendis periculis propter cõfessionem. Huic

Huic ergo institutum illud meũ vel probari, vel hac ipsa occasione excitari atq; impelli eum posse opto, vt pro gravi & excellenti judicio suo, Epistolas Melanthonianas (quas jure suo ab amicis postulare, & autoritate sua impetrare facile potest) collectas, cum φιλοφιλιωποις, & si qua futura est, pia posteritate communicet.

Vobis autem, Clariß. D. D. CONSVLES dedicandas, & quasi consecrandas has pagellas putavi, tùm quia D. Alberti Hard. & Philippi Mel. fuistis amantißimi, tùm vt mea erga vos observantiæ qualecunq; extaret testimonium publicum. Quod vt in optimam partem accipiatis, reverenter vos oro atq; rogo. Bremæ, Mense Junio. Anno Christi, 1589.

Christophorus Pezelius D.

REVERENDO VIRO, ERVDITIONE ET VIRTVTE PRÆstanti D. Alberto Hardebergio Doctori Theologiæ, docenti Euangelium fideliter in Ecclesia Dei, quæ est in vrbe Brema, fratri suo carissimo.

S. D.

REVERENDE VIR, & *Cariſs. frater, Dei beneficio adhuc in Eccleſia & Academia noſtra non ſolum pius conſenſus eſt omnium docentium, ſed etiam dulcis & non fucoſa amicitia, teq; omnes optamus nobiſcum viuere ſi à Viſurgi diſcedes. Ac ſi me expulerint hoſtes vicini, vt moliuntur, ſi viuam, ſpero tamen nos ſimul viuere poſſe in locis propioribus patriæ meæ. Nec frangor animo, propter crudeliſſimam vocem meorum hoſtium, qui dixerunt, ſe mihi non relicturos eſſe veſtigium pedis in Germania. Commendo autem me filio Dei. Si ſolus expellar, decreui Palæſtinam adire, & in illis Hieronymi latebris, in inuocatione filij Dei, & teſtimonia perſpicua de doctrina ſcribere, & in morte Deo animam commendare. Studia Academiæ noſtræ oſtendunt*

ſcripta. Mitto ægrotanti Medmanno, cariſſimo fratri noſtro, exemplũ libelli recens editi, & mitterem plura ſi haberem. Omnia enim vendita ſunt. Sed nunc recuduntur. Audio τὸν βλακώδη τυφῶνα ſcripſiſſe contra hanc meã lucubrationem ſuo more ἅμαξαν συκοφαντῶν. Cum accepero, tibi quoq; mittam. Ego & me & ſententias meas iudicio tuo & omnium piorum & eruditorum ſubijcio. Hiſtorica, quæ eſſent ἀξιόλογα nunc non habebam, niſi Pannonica. Duobus locis Turcica copiolæ non magnæ trucidatæ ſunt. Occaſio pugnæ poſterioris fuit, quod arcem prodere quidam conatus eſt. Præfectus re prius cognita, venientes Turcas, & repulit & interfecit. Dimicarunt inter ſe fratres duo, filij Tyranni Turcici, & vtrinq; circiter quadraginta millia Turcorum interfecti ſunt. Benè & feliciter vale, cariſſime frater, & reſcribe. Noſter Paſtor iuſſit, vt & ſuo nomine ſalutem tibi optem. Ego omnium collegarum votis tibi omnia fauſta opto. 3. die Septemb.

Philippus Melanthon

D. Alberti

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir & carissime frater. Vtinam quantum in aduersarijs crescit rabies, tantùm pietas in nobis, & coniunctionis tuendæ studium erescerent. Mitto tibi libellum scriptum contra virulentas Staphyli calumnias. Tales hostes communes omnium Ecclesiarum nostrarum negligunt nostri. Tantùm domestica bella mouent. Sed oro Filium Dei vt nos gubernet. Existimo Paulum Eberum tibi de actis Francofurdianis scripturum esse. Melius esset in Synodo de illis materijs disserere eruditos. Et hæc ipsa Francofurdiana deliberata nouas contentiones mouebunt, quæ Synodum conuenire cogent. Lascij voluntatem non existimo ergate mutatam esse, cui iam cum Vergerio certamina runt, qui redit in Poloniam. Ego laboribus ita obruor, vt quotidie mortem expectem, & tamen inimici mei prius me hinc expellere conantur. Benè vale, & rescribe. Die 2. Aprilis.

Philippus Melanthon.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Cùm sententiæ tibi meæ de rebus maximis notæ sint, literarum brevitatem velim te boni consulere, cùm quidem occupationes meas noris. Tecum invoco verum Deum, sicut se patefecit in scriptis Prophetícis & Apostolicis, & in Symbolis. Etsi autem optarim me posse tecum quotidiè colloqui, tamen cùm ne fieri quidem possit, vt omnes in vna vrbe simus, sciamus vnam esse Ecclesiam omnium, qui rectè sentiunt, & simul Deum invocant vbicunque sumus. Postulauerant Principes Rhenani, vt Synodus conuocaretur ad oppidum Fuldam. Non potuit fieri. Qualis enim hæc species fuisset? eodem tempore Imperatorem Ferdinandum Augustæ comitiatum inchoare, & hos accedere ad conventum Fuldensem. Et Synodus docentium, nisi adessent aliqui Principes, erat futura pugna, qualis inter Cadmeos fratres fuisse scribitur. Et si quando erit Synodus, tu & alios doctos viros timentes Deum adesse volo. Quòd si hæc Synodus inchoata fuisset,

isset, misissem ad te peculiarem nuncium. Nunc expectamus deliberationes Augustanas, quas vt Deus gubernet, toto eum pectore oro. Hic narratur Regem Danicum patrem ex hac mortali vita decessisse. Qua de re cum poteris, ad me scribas. In Angliam redeunt multi exules. Sed quò inclinatura sit gubernatio, nondum audimus. Breui editurus sum responsiones ad articulos Bauaricæ inquisitionis, quos vidisse te opinor. Hi mihi præbent occasionem repetendi præcipuas controuersias, & respondeo ibi περὶ βλαχικῶν φλυαρίων de Trunco. Mitto tibi pagellas, quæ ostendunt vtcunq;, eadem esse Academiæ studia, quæ vidisti. De Lascio voluisti me tibi scribere. Crebras ipsius accipio literas. Rectè valet, & non procul à Cracouia est apud amicos. Iamq; in conuentu Petrocouiensi Nobilitas Polonica petitura erat deliberationem de Ecclesijs. Sed ortæ, initio cõuentus oppidum incensum est, vt discederetur, nullo negotio constituto. Plura nunc scribere non potui. Benè & feliciter vale. Die Polycarpi. Comiti Christophoro des exemplum orationis de Ludouico Bauaro. Salutem opto amicis

omnibus, Danieli, Medmanno, & ali tuis amicis, quos iudico omnes & meos amicos esse.

Philippus Melanthon

Eidem.

S. D. Reverende *vir, & carissime frater. Vetus dictum est, nullam esse Harmoniam magis Musicam, quàm hanc est animi moderatio, quæ in rectè facientes patienter fert Sycophantias. Ad hanc Musicam nos assuefaciamus, & necessaria sciamus. Mitto tibi libellum de dijudicandis controversiæ Noricæ, quem volo te legere, ut censorem, & mihi significare iudicium tuum. Plura nunc scribere non patitur. Benè vale. Die Brumæ.*

Philippus Melanthon

Eidem.

S. D. Reverende *vir, & carissime frater. Etsi & astra & prodigia denunciant magnos motus Saxoniæ, tamen etiam ante hæc tempora magnas pœnas meruit, propter mores. Vidi adfectus docentium & principum, vidi populi licentiam, & discipli*

disciplinæ dissolutionem. Nunc, vt Iohannes inquit, securis arbori impacta est. Oremus autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, vt pro nobis intercedat apud æternum patrem, vt pœnè leniantur, seruentur reliquiæ Ecclesiæ, nec fiat Ethnica barbaries. Expecto auidè tuas literas, etsi colloqui malim, & nondum spem colloquij abiecì. Nam & decreta conuentus Augustani, & vicinorũ mendacia tandem cogent me hinc discedere. Et migrabo non inuitus, etsi hunc cœtum doctissimorum hominum, cum quibus iam annos triginta coniunctissimè vixi, non libenter desero, sed quò fata trahent, retrahentq; sequamur. Colant culicem isti Flaccani, & deuorant Camelum, & tales anteà quoq; impedierunt inquisitionem veritatis, & auxerunt vulgi licentiam. Deus adsit nobis. Bene vale. Die 25. Augusti.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Post iter tuum venerunt huc Pastores Ecclesiarum Brunsuicen-

sis, Hamburgensis, Lubecensis, Luneburgensis, sint vt διαιτηταὶ & arbitri inter Flacium & me. Dixi me non recusare, quò minus instituant reconciliationem. Sed velle me, vt de toto corpore Doctrinæ agatur. Illi disertè testati sunt, se non venire, vt de doctrina instituatur collatio. Tantùm se reconciliationem tentaturos esse. Adhuc igitur cum Flacio deliberant, quos articulos mihi proponant. Nec certiora iam scribere possum, quia nondum ventum est ad ἐπίτασιν huius actionis. De tua causa nondum vlla mentio facta est. Te oro, vt & significes mihi vestra omnia, & ne properes. Spero enim fore, vt plures de hac causa in colloquium conueniant. Benè & feliciter vale, cariss. frater. Die Ianu. 26.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater: Dei beneficio adhuc mediocria sunt Doctrinarum studia in hac vicinia. Ecclesiæ etiam magis florerent, si Disciplinam curarent Principes & ceteri gubernatores

bernatores, qui ideò gerunt arma, vt sint Disciplinæ custodes. Dirigo igitur & disputationes & alia mea scripta ad consociationem harum Ecclesiarum, & ad explicationem præcipuarum materiarum, quas velut in κατηχήσει *sciri necesse est. Et oro Dei Filium* λόγον *vt ipse me & alios doceat & regat. Meos dolores coràm vobis exponam. De Bellis non libet scribere. Vagantur pœnæ per genus humanum propter multa & magna delicta. Inter has pœnas, vt seruet Deus Ecclesiam, toto eum pectore vobiscum oro. De Carolo si quid certi habetis, significa.* ζώει ὁ γ ἡ δέσνηκε, κακὸν δὲ ἀνεμωλια βάζειν. *Benè & feliciter vale & rescribe. Cal. Maij.*

Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende *vir, & cariss. frater. Nondum despero colloquium nostrum, quo mihi valdè opus est. Fortassis autem propter bella rursus exulabimus, quod si fiet, ego quidem rectà ad te proficiscar. In quibus laboribus vixerim, multi norunt,*

& quanquam meam imbecillitatem agnoſco, tamen hoc adfirmo, me fideliter & quæſtuiſſe fontes doctrinæ, & aliis monſtraſſe, quantum ego quidem facere potui. Nunc expecto exilia, aut alia magis tragica. Sed oro Filium Dei, vt nobis & Eccleſiæ lenit aerumnas. Legi tuas pagellas, quas miſiſti, & probo, ac vt voluiſti, lineas eius operis, de quo ſcripſiſti, ducere cœpi. Sed Stancarica controuerſia impeditus ſum, ne inchoatum opus pertexerem. Mittam tibi meam reſponſionem de Stancari controuerſia. Sparſit is de me venenatiſſimas literas. Sed hæc mala temporum nos ferre neceſſe eſt. Oro Filium Dei, vt nos regat. Hunc noſtrum amicum Groningenſem tibi commendo. Benè vale. Die Iohan. Baptiſtæ

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariſſ. frater. Nuncius properabat, ideo ſcribo breuius. Nec tamen habebam prolixum argumentum, quia poſtquam hinc diſceſſerunt noſtri collegæ, editis condemnationibus, Antagoniſtæ

antagoniſtæ noſtri oblatam occaſionem abrumpendi colloquij amplectendam ſibi eſſe exiſtimarunt. Ideo nunc nulli congreſſus fiunt. Audis haud dubie iſthic in tota Saxonia triumphos agi de illis belliſſimis condemnationibus in Arcopago Amſdorffij natis. Oro Deum, ut me ab iſtis Sophiſtis liberet. Benè vale cariſſime frater. Die 14. Novemb. In urbe Vangionum. 1557.

Philippus Melanthon.

Saluto te reuerenter, iam prohibitus reſcribere propter inopinatam tabellarij feſtinationem. Salutat te etiam. M. Caſpar Peucerus.

Paulus Eberus.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariſſ: frater. Pauca nuper ſcripſi non tam de quæſtione, in qua, conſideranti vera & perſpicua teſtimonia vetuſtatis nulla eſt ambiguitas, quàm de meo dolore ingenti. Vides enim quantum nocuerit diſſidium illud. Confirmatus eſt error, & aucta inſolentia hoſtium veritatis. De hoc meo dolore tecum loqui mallem coràm. Nec deſpero colloquium.

quium. Nam fortassis conuentus Augustanus pariet edicta, quæ nos cogent vel noua exilia quærere, vel pati duriora. Sed hæc Deo commendo. Nunc respondere nostris vicinis cogor. Nam manifesta calumnia est, quod in scripto Lipsico vbi sit mentio obedientiæ, omittunt vocabulum: Gebürlichen gehorsam/*vt scriptum est in Archetypo, Etsi ne tunc quidem subscriptio addita est. Talibus artificijs oppugnamur. Et dicam aliquid de Stoica necessitate, & de Trunco. Quæso vt huic tabellario aliquid des literarum. Benè & fœliciter vale. Die 29. Augusti.*

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Carissime *frater, Vt cùm hic eras, tibi me totum aperiebam, & in sinũ tuũ omnes meos dolores & gemitus effundebam, sapientia & integritate tua confidens, ita nunc tecum sæpè prolixè colloqui cuperem. Sed nec possunt hi sermones committi literis, nec ad scribendũ tantum est ocij. Tuam illam Epistolam, cuius facis mentionem in literis recentissimis, quas*

hic

hic Petrus attulit, non accepi. Nec Henricus Epistolam de qua scribis, accepit. Nec vox Doctrinæ, nec ritus vlli hic mutati sunt, & eduntur libri vtiles de toto Doctrinæ corpore. Vicini Sycophantæ διυλιζουσι κώνωπα καταπινοντες κάμηλον. *& iam renouant Stoicam* ἀνάγκην, *de quo respondebo. Nulli hic sunt bellorum apparatus. Et in Academijs, Dei beneficio, Studia mediocriter florent. Te oro, vt quoties habetis tabellarios certos, nobis scribas. Viro vera nobilitate generis, virtute & eruditione præstanti D. Lascio salutem opto. Heri in cœna vir nobilis Polonus honorificè eius mentionem fecit. Salutem opto inclyto Comiti, & Symmystis, Iacobo & Iohanni. Benè vale. 30. Aprilis. De tua suppellectile scribam ad Conradum.*

Philippus.

2 Eidem.

S. D. Reverende *vir, & cariss. frater, Scimus in hac extrema & delira mundi senecta maiores fore Imperiorum confusiones, quàm fuerunt anteà. Sed petamus Ecclesiam inter has ruinas regnorum seruari*

seruari à Filio Dei. Quàm triſtia ſpecta-
cula vidit æſtas ſuperioris anni in Germa-
nia & in Anglia. Et huic annò ſidera
denunciant horribiliores motus. Oro Fili-
um Dei, vt nos protegat, & non ſinat fieri
Barbaricas vaſtationes. In hac vicinia
Dei beneficio adhuc mediocria ſunt Do-
ctrinarum ſtudia, vt pagellæ oſtendunt,
quas mitto. Te oro, vt libellum, cui ti-
tulus eſt, Examen, legas tanquam ſeuerus
cenſor. Quædam intexui περὶ τῦ λόγου, De
tantis rebus colloqui tecum cupio. Et me
fortaſsis huius anni tumultus hinc expellent.
Benè & feliciter vale & reſcribe. Calendis
Martij.

Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carisſ. frater. Gratiam tibi habeo, quod ad nos interdum ſcribis, teq; oro, vt donec colloqui poſſumus, literas mittas. Nec deerit tibi meum officium in eo genere. Dei beneficio in Eccleſijs noſtris nondum facta eſt vlla mutatio. Et mediocria ſunt in Academijs Studia doctrinæ cœleſtis & aliarum artium. Etſi autem ſperant aliqui

poſſi

posse obtineri, ne duriora imperentur, si de vestitu, & cibis, aut similibus nugis non pugnemus, tamen quid futurum sit, tempus ostendet. Mihi nunquam placuit rixari de paruis rebus. Sed magno in dolore & fui annos decem & amplius & adhuc sum, quòd inquisitio Doctrinæ necessariæ impedita est. Propter quam causam nunc etiam nos plecti, vtinam multi agnoscerent, & vera inuocatione Dei in fiducia filij, peteremus auxilium. In Sueuicis Ecclesijs pelluntur Pastores, & fit solitudo, ac multis locis nulli sunt congressus in templis. Talis est Reformatio, quam iactitabant facturam esse aureum seculum. Benè vale & rescribe. Die conuersionis Pauli. Inclyto Comiti Alberto salutem, & fausta omnia opto.

Philippus Melanthon.

Crucigerum Deus in Scholam cœlestem abduxit.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & amice cariss. Adiunxi Epistolæ ad Comitem scriptæ literas, in quibus tibi respondeo. Nec

*Nec libet prolixè eandem narrationem repe-
tere. Tantùm te oro, vt in iudicando
ἐπίεικεαν adhibeas, præsertim cùm confessio
nostra nota sit omnibus. Nam in Ecclesijs
nostris eadem vox Euangelij sonat, quam
audiuisti, & scribimus in nostris lucubra-
tionibus eadem, & in administratione
Cœnæ Domini nulla facta est mutatio. Nec il-
lud Poëma aulicũ delet nostram confessionẽ,
vbi quædam inserta sunt, quæ non sunt
nostra. Cur toleratis, inquiès, cur non
opponitis scripta? Scio hæc duriter dispu-
tari posse. Sed nolo harum regionum Ec-
clesias turbari, quæ si Pastores pellerentur,
prorsus fierent vastæ, vt ad Rhenum, &
ad Neccharum accidit. De Adiaphoris
ideo minus contendimus, quia alia maiora
certamina sustinemus, de Missa, in quibus vti-
nã nostri nõ stabilissent neruum Pontificiorũ
errorum & Pontificiæ potentiæ. Præterea
alioqui retenta sunt Adiaphora pleraq; in
nostris Ecclesijs. Obsecro te, concordiam
inter nos tueamur, nec propter Adiaphora
inter nos ipsi dimicemus. Benè & feliciter va-
le. Omninò colloqui tecum decreui. Die 29.
Martij.*

Philippus Melanthon

Eidem

S. D. Reverende vir & cariss. frater. Deo gratias ago, quod vos defendit, cumq; toto pectore oro, vt Ecclesiæ veræ opem ferat, & seruet sibi inter nos semen aliquod sanctum Principibus cur semper timuerim, ac nostro præsertim, non ignoras. Et quanquam magno in dolore sum propter ipsorum & nostram calamitatem, tamen propter Doctrinæ διχοστασίας in aliquibus materijs magis doleo, quas vt Deus explicet, toto cum pectore oro. Atq; vtinam aliqui pij doctores colloqui possent. Secuturam arbitror mirandam conuersionem rerum Germanicarum, in qua prodesset verè concordes esse doctores Ecclesiarum nostrarum vbiq;. Ego hic, vt in hybernis nunc sum. Certam sedem nondum habeo. Nec procul fugere decreui. Te autem oro, vt scribas. Franciscus Hispanus vir optimus & integerrimus Basileæ est. Opinor ab ipso refutationem Decretorum aliquot Synodi Tridentinæ compositam esse, cuius exemplum an videris, nescio. De filio Iohannis Amsterdami scripsi ad collegam vestrum.

Quæ ō pugna, vt studia adolescentiis inuen-
tur liberalitate collegij. De conuentu Au-
gustano hæc erant recentissima: Duæres
præcipuè agantur. Imperator petit, vt
Principes de Synodo dicant sententias. Hi
petunt nouam instrui, & adhiberi nostra-
rum Ecclesiarum doctores. De fœdere etiam
agitur, quod opinor ab Episcopis peti, vt
mortuo Carolo Imperatore haleant defenso-
res. Et rex Ferdinandus communire se vel-
le videtur. In Italia, postquam interfectus
est Aloisius, filius Pauli III. Rom. Pont.
Carolus Imperator occupauit Placentiam.
Ea res existimatur nouos in Italia motus
paritura esse. Te etiam atq; etiam oro, vt
sæpè scribas. Benè & feliciter vale, caris-
frater. Die omnium sanctorum.

Philippus Melanthon.

16 Eidem.

S. D. Reverende vir, & caris-
frater. Scio aliquot Principes valdè petere,
vt docti colloquantur. Idq; Ecclesia petit.
Et quanquam illi impedijt, qui iam non pro-
culà Lubeca decreuerũt, se non aduturos esse,
ullam aliorũ Synodũ, tamen rerũ magnitudo
poscit

poſcet, vt priuato officio aliqui cõueniãt, & conſenſum de multis rebus conſtituant, quod ſpero & fieri poſſe, & Deo iuuante profuturum eſſe veræ Eccleſiæ. Cur enim ſinimus impediri recta conſilia præiudicijs, neſcio quorum. Iam edi libros contra me de Stoica neceſsitate Nicolaus Gallus, qui Ratisbonæ eſt. Vbi videro, Deo iuuante reſpondebo. Te autem oro, ne properes ad certamẽ cum collegis. Oro etiam vt multa diſſimules. Precatione ad Filium Dei primùm nos armemus, & in tantis naturæ, rerum, & hominum, & imperiorum perturbationibus conſtanter agamus: & petamus, vt Deus nos gubernet, & ſeruet Eccleſiæ reliquias, & eius vulnera ſanet. Ante duos menſes quidam Lituanus & Seruetius reliquias ex Italia attulit, quem etiam refutare cœpi, Bene vale. & reſcribe. Die Georgij.

Phillipus Melanthon.

Domini conſulis Filium commendauit viro erudito Antonio VValtero, qui prodeſſe & ei in exercitio ſtyli poterit. Et hoc magis expetebat Adoleſcens, quàm vt mox ſine his exercitijs tantum Iuris

lectiones audiret. Et volo tamen, vt Institutiones Laris audiat. Salutem patri & vobis omnibus opto. Bene vale.

Eidem.

17. S. D. Reverende vir, & cariss. frater. Hæc cum scriberem circa Vernũ Æquinoctium, concurrebant multa terribilia signa. Coniunctio Saturni & Martis, & simul Cometa, cuius cauda directa erat in Belgicum. Cum igitur impendeant & Bella noua & dissidia doctrinarum, petamus vt Filius Dei nos gubernet. Tuas literas & obtestationem memini, & cogito in ea Synodo quam expectamus, cum pijs & doctis de re tanta loqui. Vides enim quales sint quorundam clamores: Inter quos nostra vox non audiatur, nisi adsint pij & docti συμφρόνως. Sed hæc coram, vt spero. Hunc Nyssium commendabis illustri Comiti Christophoro. Præceptorem Danielis attribui doctũ virum, qui mecum fuit annos amplius tredecim. Bene vale.

Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariss. frater, cum

Cùm nec obscura, nec parua sint Ecclesiæ vulnera, multos annos & ingentem & assiduũ dolorem animo circumfero. Ac majus & tristius prodigium esse iudico in his, qui nõ sunt indocti, rabiem contra veritatem, & manifestas παλαιὰς, quam sunt Cometæ, aut monstrosi partus. Et tamen hæc signa etiam mihi dolorem augent. Existimo & vos considerasse Cometam, qui hoc Martio conspectus est. Nos primum vidimus die 5. Martij, cùm vicinus esset stellæ quæ προτρυγητὴς nominatur, in Astræa, quæ significat doctrinas & Leges: Inde rapido motu ascendit ad Arcturum, postea ad minorem Vrsam. Inde longus ad Septentrionem vehelatur. Caudam Belgicam intueri iudicauimus. Ac eodem tempore fuit Saturni & Martis coniunctio. Ita ante mortem Philippi patris Caroli Imp. concurrerunt & coniunctio Saturni & Martis & Cometa. Vestras considerationes velim te etiam nobis significare. De cæteris rebus scribã, cùm audiero, an procedet conuentus Principum Germanicorum, in quo fierunt deliberationes περὶ δογμάτων, omnino ero hortator, vt ij quoq; Principes aliqui accersant. Bene vale. Die Cœnæ in Bethania.

Philippus.

frater. Vtrumq; vox diuina prædixit; & fore in hac languida, & delira mundi senecta maiores gentis humani confessiones, quàm fuerunt antea: Et tamen filium Dei certo etiam inter has Imperiorum ruinas sibi collecturum esse æternam Ecclesiam. Itaq; & præparemus animos ad ferendas communes calamitates, & hac nos consolatione erigamus, quòd filius Dei certò colligit Ecclesiam in his ipsis nostris cætibus sonantibus Euangelij vocem, etsi magna est infirmitas. In hac cogitatione magis etiam mihi leniuntur mei dolores, cum intueor passim familias pias, & in his adolescentes, in quibus & indoles bona est, & semina sunt virtutum à Deo mentibus eorum insita. Talis est Elardus Hofman Bremensis, cuius & natura auida & capax est doctrinæ, & mores adeò modesti sunt, vt esse cum domicilium Dei existimem. Quare & Parentibus talem filium, & tibi talem amicum gratulor. Oro autem te, vt etiam meo nomine parentibus sis hortator, ne desint filij studijs. Nondum despero colloquium nostrum. Ideo de dogmatum controuersijs iam non scribo. De bello ne libet quidem scribere. Sed tecum oro veris gemitibus filium Dei, vt Ecclesias &

non

nos inter aras suas regat & seruet. Responsionē ad Balticam Gorgonem edituru sum, cùm redibo Wittebergā. Vides moueri magna certamina de personis Diuinitatis, & singularū proprietatibus, de quibus mitto tibi quæstiones. Benè & feliciter vale, & rescribe. Argeliæ. Die 26. Octobris. Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Senis huius tabellarij opera mihi pergrata est. Libenter enim tecum quotiescunq; possum quasi colloquor, Et fortassis aliquanto post, coràm colloquemur, vel in tua vicinia, vel in mea patria. Iam enim expectatur editio censuræ Turingicæ seu potius βλακικης, de multis doctrinæ partibus, περὶ ἀυάγκης Στωικῆς, περὶ ἀρτολατρείας, περὶ ἀντινόμων, vbi necesse erit me respōdere: quod faciam Deo iuuāte planè, sed cōmūicatis sentētijs cū pijs & doctis. Pub. trāquillitatis causa hæc certamīa hactenus defugi, quātum potui. Sed postquàm irritare me inimici non desinunt, & errores cumulant, necesse est me testimonia mei iudicij relinquere, quod volo congruere cū vera Ecclesia, id est, cum pijs & doctis omnibus. Bene vale. Die 20. Iulij. Phil.

Eidem

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Ex Pannonia tristiores quærelæ de dissidijs docentiũ περὶ ἀρχολαϊρείας scribũtur, quàm de Turcico bello. Crescunt & in Polonia de eadem re certamina. Ac omnino colloqui eruditos oportebat. Sed repugnant in gynecæis & in aulis ĩdocti, qui veras deliberationes impediũt. Oro autem filium Dei, vt propter suam gloriam Ecclesiæ opem ferat, & gemitus nostros exaudiat. Vtile esset edi communes præmunitiones cõtra Seruueti reliquias, & contra Stenckefeldium & Thammerum, Item περὶ ἀρχολαϊρείας Harum grauiss. rerum explicatio negligitur. Interea repetuntur sine fine rixæ de linea veste. Scripsi ad amicos quosdam tibi benè notos de colloquio. Horum expecto literas. Nam commune decretum fieri vellem. Nequaquam velim te in concionibus pugnare. Sed si cæteri suggillant, potius discedendum censeo, quàm cum indoctis & rabiosis rixandum. Si de migratione cogitabis, cõram nos colloqui velim. Benè & feliciter vale. Die 27. Octobris, quo meus pater vir optimus

ame

ante annos 49. placide ex hac vita decessit.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater, *Accepi & eas literas, quas seni vestro tradidisti, & alteras, quas Vitus Iurisconsultus Medici filius attulit, & tibi gratiam habeo de assiduitate, quam in scribendo praestas. Sed velim te in optima causa, tranquilliore animo esse. Ego hactenus nec distractiones maiores, nec dissipationes meas fuga facere volui. Sed aequè & tranquillo animo expecto exitus, sicut & ad Principes scripsi. Dixerunt aduersarij, se perfecturos esse, vt non sim habiturus vestigium, vbi pedem collocare possim in Germania. Vtinam hoc citò perficiant, vt filius Dei ad Iudam dicit. Erit mihi vel in cœlo vestigium morienti: vel si viuam in hoc corpore apud honestos & doctos viros, vel in Germania vel alibi. Ac stultitiam inimicorum miror, qui sese Dominos Germaniæ esse existimant, & me his minis terreri. Te quoq; oro, vt finas illos triumphare, nec à moderatione tua discedas. Deus dabit occasionem explicandæ*

controuersiæ. In congressu Phorcensi nihil actum est præter ea, quæ in pagellis recitantur, quas mitto. De conuentu Augustano, tunc deliberabimus, cùm res poscet. Nec arbitreris Principes huius controuersiæ mentionem admissuros esse. Et optarim ea de re doctos audiri. Deniq; te oro, vt tranquillo animo expectes ea, quæ Deus nos & agere & sustinere volet. Commendemus Deo viam, in quam nos vocauit, & precemur eum, & ipse faciet. Benè vale. Die 14. Nouemb. qui est mēsis kasleu, id est, ἀριώνειος. Ita sapiēt vetustas mēsibus nomina tribuit à sideribus.

Philippus Melanthon.

23. Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Quod existimas tuos inimicos me sibi adiuncturos esse, longè falleris. Magis hoc agunt, vt me opprimant, quàm vt te pellant. Incitantur aduersum me Regum & Principum animi, cùm quidem nihil ediderim contra ipsorum sententias. Iam meus Thersites censurā scribit contra me de multis doctrinæ partibus, ac præcipuē tuetur τὴν ἀρτολατρείαν. Necesse igitur erit me respondere, quod faciam in eo loco, si viuam, vbi

vbi me non impediant eulæ. Ac Deo iuuante Apologiam edam, quam spero pijs & doctis gratam fore. Sum eo tranquilliore animo, quia manifestum est, me & pacis studiosum fuisse, & moueri hæc certamina ab inimicis odio mei, non studio veritatis. Oro autem filium Dei, vt Ecclesiam & me gubernet. Si vellem aulicis præsidijs pugnare, non deesset mihi consilium. Sed me Deo cõmendo, quem precor, vt & Danieli & Medmãno animorum & corporum vires confirmet. Te oro vt mihi scribas, quoties halebus tabellarios, quorum probas fidem. Bene vale. Die 20. Februarij.

Philippus Melanthon.

Eidem. 24

S. D. Reverende vir, & cariss: frater. Etsi multi amici, viri prudentes in ripa Rheni, dissuaserunt mihi reditum ad Albim, redy tamen seu fato, seu quia post mortem vxoris me necesse est hæredibus meis tradere quantulumcunq; est, quod eis dare possum. Sed exilia noua expecto. Fuit in vrbe Vangionum mecum, ille tuus discipulus, quem cum viderem mutatum, gemens dimisi sine longiore disputatione

tatione. Nec mirum est frangi animos eorum, qui non sunt confirmati vetustate sinceræ testimonijs, cùm vident sibi cum tanta multitudine & potentia dissentientium, imò & cum fortuna pugnandum esse. Mitto tibi formulam scriptam, cum ex urbe Vangionum discederemus, vt occurrerem Sycophantis qui venenatissimas fabellas sparguntur, in qua, cùm videas, quantum paci consulerit inter nostros studeam, te quoq; oro vt & pacis & bonorum infirmitati seruias. Quamprimùm erunt tempestates mitiores, tecum colloqui decreui, nisi prius discedere hinc cogar. Fortassis & mors me cito ad tranquilliorem Ecclesiam dimittet. Non enim plus vno anno ab eo climacterico absum, qui plurimis vitæ corporum meta est. Ac profectò auide illius Academiæ cælestis sapientiam expeto & expecto, in qua coram adspiciemus ea, quæ maximè cognoscere cupimus. Inimici mei iactarunt se expulsuros esse me ex tota Germania. Tantùm potentiæ se habere putant. Ego & ex Germania & ex hac vita discedere, cùm Deus volet, non recuso. Sed errant illi ardeliones, si se dominos Germaniæ vniuersæ esse existimant. Scriberem

plura

plura, nisi scirem multos insidiari nostris literis. Benè & feliter vale, & rescribe. Die Stephani.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. REVERENDE *vir & cariss. frater. Heshusius adhuc Heidelbergæ hæret & triumphat, quòd Antagonista discessit, qui* τὴν ἀρτολατρείαν *taxauerat. Adiungit se* τῷ βλακικῷ συρφετῷ, *Eius generis applausus vt habeat, palàm me criminatur* παραβαίνων τοὺς ἅλας, καὶ τὴν τραπέζον. *Sed commendo Ecclesiam, & nos in ea filio Dei. In hac vicinia, cùm Stoici nostri contendant omnia necessario fieri, tamen bona opera negant necessaria esse. Tales ineptiæ dicuntur verè* βλακώδεις, *gementibus doctis & pijs, quorum multi tamen apertè pugnant. Heri senatui cuiusdam oppidi misi dijudicationem multarum controuersiarũ de quibus ibi rixantur quidam præstigiatores. Amisimus collegam & amicum, virum exellentem ingenio, eruditione, & virtute, Iacobum Milichium, cuius mors mihi & alijs magnum dolorem affert. Sed oro filium Dei, vt publicas & priuatas calamitates nobis mitiget.*

Pagellas

Pagellas de funere mitto, quarũ vnam Domino Petro Medmanno viro integerrimo mittas. Benè vale, & rescribe. Die 14. No.

Philippus Melanthon.

26.

Eidem.

S. D. Ex tuis literis intellexi Medmannũ ad accersendum D. Bucerum eo ipso tempore profectum fuisse, quo tabellarius noster Spira discesserat. His, si iam apud vos sunt, hortator esto, vt mihi aliquid de præcipua cõuentus Historia, nõ de parergis significent. Hic Dei beneficio tranquillitas est. Nunc autem non eo tantùm tibi scribendum esse duxi, vt hunc Christophorum auditorem & amicum nostrum tibi commendarem, qui tantùm videndi conuentus causa istuc profiscitur, sed etiã quia post tuum discessum hic legatio Brunswigæ ciuitatis fuit, de qua exponenda quædam tibi esse duco, quæ ad te pertinent. Petit, ea ciuitas indicari sibi virũ idoneum, cui tradant summam Ecclesiarum gubernationem ἐπισκοπήν. Quæsiuimus multos & in his tui mentionẽ fecimus. Legatis consilium nostrũ de te præficiendo suis Ecclesijs placebat. Sed de lingua dubitabam,

quam

quam dicebam emendatam esse Moguntiæ. Etsi igitur te absente nihil constitui potuit, & nos nesciebamus, an te aula retentura esset, tamen si in has regiones redeundũ esse putabis, nec te aula retinet, spero Brunswigæ tibi locum fore. Quòd autem abeunti consilium dedi, idem nunc do, vt apertè & ingenuè cum D. Buchelio & Medmanno & M. Bucero de tuis rebus omnibus deliberes. Horum prudentiam & fidem scio tantam esse, vt tibi vtilia suasuri sint. Et ingenij vim in Buchelio iam animaduertisse arbitror. Priorem Augustiniani collegij, hospitem vestrum & tuæ literæ & alij mihi prædicant. Gaudeo sonare etiam Spiræ vocẽ Euangelij filij Dei, & ipsi Priori hanc animũ gratulor, eiq; opto vt Deus ὁ ἐνεργων τὸ θέλειν vt Paulus inquit, confirmet & regat eum. Christophorum nostrum deduces ad Medmannũ, nihil petit, nisi vt in ea loca ducatur per occasionem, vbi videri Princeps possit. Nihil est insidiarum aut μηχανημάτων. Benè vale. Die Martij 25.

Philippus Melanthon.

Eidem.

Eidem.

S. D. Clarissime Domine doctor, Duces Pomeranici à nobis petiverunt, mitti in Academiam suã virum idoneum ad Theologicas & lectiones & disputationes. Respondi me ad te scripturum esse. Habes certũ & honestũ stipendium in Academia Gripswaldiana, si eo proficisci velis. Quaeso igitur vt cum D. M. Bucero deliberes, & re deliberata mihi respõdeas, an sis Gripswaldiã venturus. Meo iudicio tuis rationibus & studijs vita Academica maximè congrueret, & de studijs ac Ecclesia benè mereri in munere docendi posses. Expecto à te planum responsum. Benè vale. Die 21. Augusti.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir & carissime frater. Semper ita iudicaui secuturum esse ingens bellum post illam victoriam Caroli, quae mouit Rempub. non constituit. Et fatbelli futuri est, illa Sophistica religionis depraua tio, edita in conuentu Augustano. Vrget igitur ira Dei multas gentes, quam vt filius deprecator leniat, toto cum pectore oro.

Quicunq

Quicunq; me casus oppresserit, aliquammihi leuationem adfert conscientia rectæ voluntatis, quòd & veram & explicatam doctrinam iuuentuti tradere conatus sum, cùm quidem magna esset opinionum variarum confusio. Si viuam, tecum loquar coràm de pluribus controuersijs. Nam & Osiander noua deliramenta gignit. Te oro & vt nostræ amicitiæ sis memor, & vt scribas ad me, donec colloqui possumus. Etsi enim non possumus complecti literis ea, quæ maximè vellemus, tamen consuetudo scribendi beneuolentiæ significatio est. Benè & feliciter vale. Die 14. Nouemb.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Iacta curam tuam in Deum, & ipse te enutriet. Hãc arcẽ teneamus, in hoc portu acquiescamus, nec frangamur animis, cùm aulæ nos negligunt. Si non videtur vsura aulæ, tua opera, inuenies aliam honestam conditionem. Et vides quantum sit certaminis futurum cum capitulo. De Brunsuiga, si Medlerus eò non migrabit, & non discessurum esse ex Thuringia arbitror, admitar, vt habeatur ratio tui. Certè mea officia tibi non

deërunt, si redieris. Conuentum tamen & aulas vidisse eò prodest, quia cùm miserias illas videmus, discimus magis amare hoc nostrum vitæ genus Scholasticum sincerius, & admonemur vt maiore cura Deum oremus, vt Politias ipse gubernet. Nisi enim Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat, qui custodit eam. Hîc Dei beneficio tranquillitas est, & vt sit diuturna, faciat Deus aeternus pater Domini nostri Iesu Christi. Sed doctum & pium virum ex hac nostra Academia in cœlestem Academiam euocauit Deus M. Martinum Frisium. Richwino dabis hanc pagellam. Benè vale. Pridiè Cal. April.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir & carissime frater. Hãc Epistolam cum scriberem die 29. Maij, quo ante annos centum & sex Constantinopolis à Turcis capta est, multa cogitaui de furoribus docentium & gubernatorum, qui similes pœnas attrahunt Germaniæ. Precor autem filium Dei, vt propter suam gloriam, seruet inter nos Ecclesiæ reliquias. Adhuc sunt captiui, Pastor Ecclesiæ Ienensis, & Victorinus, duo modestissimi viri,

Pastor

Pastor etiã senex est. Edit tã Sarcerius condemnationes similes Gorgoni VVimariensi: Ego quanquam senex, tamen exilium & opto & expecto. Interea dùm hic sum, Deo iuuante, adolescentibus vtilia tradam, & eam moderationem, qua hactenus vsus sum, excutiã mihi non finam. Mitto tibi pagellas, quae ostendunt non solùm Academiae studia, sed etiam meos dolores. Est hic nobiscum Hungarus, qui triennio fuit Diaconus Constantinopoli, ac multa de Ecclesijs in Asia narrat. Leguntur ibi quoq; scripta nostrorum conuersa in grecum sermonem. Deus illis & nobis opem ferat. Benè vale carissime frater.

Philippus Melanthon.

31. Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater, Quoties audio profecturum esse hinc ad vos seu Scholasticum, seu nuncium, literas ad te mitto. Fabellam igitur de meo silentio contemni à te velim. Sed profectò scriberem ad te prolixius, si non metuerem intercipi literas. Vides quàm sint in me intentà βλακικοὶ, quanta sit odij iniusti crudelitas, quod vnde sit ortũ & ad quem finẽ referatur

ab eis, prorsus ignoro. Tibi etiam inimicum esse legi in scriptis τὸ βλακίον. Qui fuerint amplius triginta annis mei labores, quæ in tolerandis quorundam ineptijs, animi moderatio, multi sapientes viri norunt. Me igitur & Dei bonitate, & voluntatis meæ conscientia, & iudicijs honestorum virorum, aduersus Sycophantias consolor. Quòd vũ à me formam verborum scribi, Paulina est commodissima, & minimum habet periculi: Panis est κοινωνία σώματος. Non ait, vt Osiãder dicebat: Panis est Deus, sed est illud quo fit societas cũ corpore Christi. Vides quibus verbis in Examine vsus sim. Vellem autem in communi deliberatione eruditorũ explicari rem tantã. Ac nunc ex Francofordia ãmicorum literas expecto. Ac tibi quàm primum significabo, quid illi scripserint. Benè vale, carissime frater. Die 14. Septemb.

Philippus.

D. Alberto Hardebergio.

S D. Post Saxonicorum Legatorum abitum venerunt huc Megalburgenses legati: qui multò duriores conditiones pacis tulerũt. Respondi: malle me palàm interfici, quàm talibus decretis iugulari. Oro autem filium

Dei,

Dei, vt ipse, qui est λόγος eterni patris viuens, opituletur veritati, quam ipse patefecit. Si procedet colloquium, quod Mense Augusto VVormatiæ instituendum est, necesse erit etiam τῆς ἀρχιολατρείας mentionem fieri. Ad id tempus velim te adesse: tegnuro, vt cùm videas, quanti sint impetus hominũ, illum conuentum expectes. Benè vale. Die 9. Martij.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir & cariss. frater. Cùm in manibus haberem duo scripta edenda, alterum περὶ λόγου contra Lituanum, qui Serueticas blasphemias reuocat, alterum contra Cynicum Pragensem de inuocatione mediatoris, ecce adfertur Illyrici liber, in quo repetit omnes priores criminationes, & fert conditiones pacis. Deo iuuante edam tres responsiones his diebus. Scripsit etiam Illyricus me, quia tibi sim amicus, non præliari περὶ ἀρχιολατρείας. Et tamen ipse quid sentiat, non dicit. Oro autem filium Dei, vt nos gubernet, & seruet Ecclesiæ suæ reliquias, & reprimat Sycophantas, qui vulgi plausus captant, non quærũt veri

tatem. Te oro, vt per hunc tabellarium mihi scribas. Consuli Danieli salutem opto. Dei beneficio filius honestè viuit & discit. Benè vale, Die 7. Septemb.

Philippus Melanthon.

34 Eidem.

S. D. Reverende *vir, & carissime frater. Pagellam tuam accepi* περὶ λόγου, *tibiq; pro hoc officio gratiam habeo, quòd describendi labore te onerasti. Res eadem in multis libris repetita est, & si quis secus sentit, non intelligit, an existimet* τὸν λόγον ὁ φιςάμενον εἶναι. *Scripsit ad me etiam tuus micus Rodolphus Epistolam insuauem, in qua* περὶ τοῦ πανταχοῦ *disputat. Si vester cõuentus procedet, maioris discordiæ initium erit: ac optarim te abesse ab eo certamine, in quo non seruabitur illud Platonicum,* δεῖ δικάζειν οὐ πλήθει ἀλλ' ἐπιςήμῃ. *Tuum hospitem Dauidem salsis ironijs vsum esse iudico, cùm ea dixit, quæ narras. Oro autem filium Dei, vt nos omnes protegat ac gubernet, & sit* βραβευτὴς *agonum Ecclesiæ. Scriberem plura, nisi dolore impedirer. Benè vale, Die 3. Aug.* Philippus.

Eidem.

S. D. *Nec doctrinæ nec rituum in Ecclesia nostra mutatio vlla facta est, ac iniuriè faciunt Vicini, quòd Ecclesijs nostris aliòqui mœstis augent dolorem. Sed vt spero illos adolescentulos Oratores refutabo, præsertim cùm certamina moueant, de quibus dici plus prodest quàm de linea veste. Ego me voluntatis meæ conscientia, in hac tota causa quæ iam annis triginta agitur, consolor. Non moui vlla noua dogmata: Sed cum essent mota, quædam ex magna caligine & confusione opinionum mediocriter euoluere studui, & existimo eum tibi laborem probari. Meministi etiam gemitus meos de quibusdã negotijs. Sed hanc commemorationem omitto. Beneuolentiam inter nos perpetuam esse volo, ac literas iam à te expecto, & flagito. Si illis qui in me debachantur, veritatis explicationem piè quærerent, valeret aliquid apud eos memoria veteris amicitiæ, nec tanta acerbitate in nos sæuirent. Adficerentur etiam misericordia nostrarum Ecclesiarum. Sed hæc aliàs. Salutem opto D. Iacobo, Iohanni, & cæteris amicis. Benè & feliciter vale. 4. Non. Maij.*

Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Cum esset magna dissimilitudo opinionum ante Annos ferè triginta, inspectio Ecclesiarum præbuit mihi occasionem videndi summam doctrinæ ita recitatam, vt multæ controuersiæ diiudicarentur, & monstraretur forma orationis propria in multis: Eam rem profuisse ad coniunctionem qualecunq; Ecclesiarum existimo. Illi autem vulneri, quod adhuc præcipuè lacerat Ecclesiam, mederi non potui. Et vt in ægro corpore, non omnia mouenda esse cogitabam. Vtinam autem multi studerent & fouere teneras Ecclesias, & vtcunq; tueri coniunctionem. Sed videmus quosdam captare vndiq; occasiones faciendi maiores dilacerationes. Si nominatim contra me scribent, vel vt Stoïca deliramenta propugnent, vel vt ἀρχολατρείαν confirmcnt, decreui, Deo iuuante de his maximis rebus explicatè respondere, si viuam. Et libenter senex exilia suscipiam, vt liberatus ex hoc ergastulo, ad precationem & ad studia plus habeam temporis. Post Francofordiensem mercatum plura ad te scribam, quò cùm iam proficisceretur meus gener, vt

meum

meũ fratrem germanũ, & alios quos dã viros doctos alloquatur, dedi ei literas ad Lascium, qui tranquillum hospitium Francfordiæ habet. Scripsi ad eum, eodem argumento, quo iam ad te scribo. Mitto pagellas meo more. Benè vale. 21. Aug.

Philippus Melanthon.

37 D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, & cariss. frater. Dei beneficio nulla prorsus adhuc mutatio vel doctrinæ vel rituum in nostris Ecclesijs facta est. Studia etiam Philosophica hic mediocriter florent. Et ferè singulis septimanis vsitato ritu commendatur ministerium aliquibus, qui in alijs Ecclesijs docebunt. Ex hac ipsa voce & Ecclesiæ specie publica potius de nobis iudicate, quam ex pagellis, quibus quædam inserta sunt, quæ non sunt nostra. Sed tamen de Adiaphoris non valdè pugnauimus, quia scis plerag, retenta esse ex veteri more in nostris Ecclesijs. Non fuit igitur rixandi causa. Sed de alijs maioribus rebus magna & sunt & fuerunt & erunt certamina, præcipuè de oblatione. Aulici vociferantur, nisi vel in medijs rebus obtempere-

mus, Imperatori missurum exercitus in ha regiones, qui vastent Ecclesias, sicut in Suevia vastatæ sunt. Aiunt non necessarijs rebus non esse tantas calamitates accersendas. Sumus igitur minus duri in illis mediis rebus, quarum pleræq; nondum sunt in his terris abolitæ. Sed de oblatione impetratum est ab Aulicis, ne oneretur Ecclesia institutione sacrificij Pontificij. Qua de re eo difficilius est certamen, quia nervum stabilierunt iam olim nostri Doctores, quod scio nos sæpè gementes, & lachrymantes deprasse.

Post Scripta.

Comes Albertus scribit me à Iulio pecunia corruptum esse. Hanc falsiss. calumniam refutare possum ipsius Iulij & totius Aulæ testimonio: teq; oro, vt me excuses. Deo iuvante, constantiam præstabo in confessione necessariæ doctrinæ, vbicunq; ero. Spero me tecum breui collocuturum esse. Dicas Comiti adeò non mutatam esse doctrinam in hoc Oppido, vt nunc Typographi edituri sint tomum lucubrationum Lutheri optimarum, qui continet Enarrationem in Psalmos & Prophetas.

Prophetas. Exemplum mittam. Vos q. oro, vt si in hac seruitute non fecimus omnia, quæ vos in libertate facitis, misericordia nostri adficiamini, non augeatis nostros dolores falsis criminationibus. Scio qualia sint iudicia multorum. Et alij alias causas suæ vehementiæ vel iracundiæ habent. Te & tui similes, doctos & sapientes viros decet fouere nostros cœtus, ne inter nos tanquam Cadmei fratres dimicemus. Benè & feliciter vale. Die 18. Martij.

Philippus Melanthon.

38 Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater, Quod inclytus Comes mihi hospitium offert, & debeo ipsi & habeo gratiam. Sed nunc non exilium tantùm, sed etiam mortem expecto. Nam hic annus climactericus in hoc æstu valdè languefecit corporis mei vires antea quoque multis aerumnis debilitatas. Cedam autem libenter ex horum temporum Sophistica. Nostri inimici audacissimè negant hanc propositionem: Bona opera necessaria sunt.

Et

Et citant dictum ex ſecunda Epiſtola ad Corinth. κατ᾽ ἐπιταγὴν λέγω, *quod diſertè Paulus opponit errori illorum, qui Platonicam communionem in Euangelio aſſerri putabant. Volo inquit, vobis liberum eſſe modum donandæ Eleemoſynæ. Inſulsè verò à non præcepto, ad præcepta opera dictum illud transfertur. Audi aliud Sophiſma impudentius ſcriptum. Quidam, vt* τὸ πανταχοῦ *defendant, iam fingunt duplicem Idiomatum Communicationem, alteram Phyſicam, alteram Dialecticam. Has ineptias in reſponſionis editione de Bauaricis Articulis, quæ iam integra prodibit, taxabo. Profectò niſi Deus petulantiam Sophiſtarum compeſceret, ſecutura eſt horribilis confuſio doctrinarum. Tenentur adhuc captiui Victorinus & Andreas. Neſcio quid addam. Iudicium tuum flagito de voluntate humana, probes ne formam illam explicationis, quam ſcripſi in Reſponſione Bauarica. Benè vale. & reſpondc. Die Iacobi.*

Philippus Melanthon.

S. 39.

S. D. *Si tantum poſſem fundere lachrymarum, quantum & Albis noſter, & Viſurgis veſter vndarum vehunt: tamen exhauriri*

lauriri meus dolor non posset, quem multos iam annos circumfero in animo propter dissidium περὶ δείπνου, de quo manifesta est antiquitatis sententia. Vtinam in rei tantæ explicatione dexteritas in iudicandis veterũ sententijs potius adhibita esset, quàm contentionis asperitas. Si pax fuisset, potuissent plures colloqui, & cõmunicato consilio huic malo mederi. Sed arma impediunt salutares deliberationes. Tibi consilium do, vt potius isthinc discedas, quàm vt hoc tempore turbulento cum collegis rixeris. Ego sæpè cum doctis & pijs de hoc negotio collocutus sum, & spero, Deum aliquando daturum esse occasionem, vt inter pios concordia de ea re constitui possit. Nunc verò belli tempore quid fieri potest? Hoc dissidio repressus est Euangelij cursus, & confirmata potentia aduersariorũ ac audacia. Vtinam cum Iacobo istic corãm loqui possem. Benè & feliciter vale. Die 6. Feb.

Philippus

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Etsi Lipsiæ rursus decreui scribere, tamen hanc Epistolam dedi tuo ciui, antequam Lipsiam iret. Consilium de profectione ad

Academiam

Academiam & Aulam meæ Patriæ inutile videtur. Non enim arbitror tam diu ibi mansurum esse istum Thrasonem, donec eò venias. Nec si ibi esset, commissurum esse Principem Electorem Theologicam disputationem, quæ tumultus in populo excitatura esset. Mihi Academia nota est. Sunt ibi docti & boni viri aliquot, qui te amanter exciperent. Sed populi voluntates alienæ sunt. Et in noua gubernatione Princeps, Medicorum doctrinam sequitur, quæ iubet ὀψὲ μὲν νεῖν. Vbi ad vos Thraso redierit, & prouocabit te ad disputationem: respondebis, te non fugere placidã collationẽ. Sed velle te adhiberi iudices. Si procedat ad fulmẽ Anathematis, vt fecit in Academia meæ patriæ, oppones iniustissimam responsionem, quòd sine causæ cognitione iniustum sit ferre sententiam. Simul autem vellem te collegio vestro exhibere non disputationem, sed tantùm collectionem veterum testimoniorum, Augustini, Ambrosij, Prosperi, Tertulliani. Et Græcorum: Theodoreti, Macarij, Basilij, Nazianzeni, Dionysij, Origenis, Clementis. Ex his ostendas Papisticum dogma nouum esse. Non fuit autem nouum dogma in-

uehendum

uehendum in Ecclesiam, & noua adoratio instituenda. Haec testimoniorum commemoratio plus prodest argumentis. Testimonia, quae illi pro ἀρχολατρείᾳ citant, noua sunt aut suppositicia. Decreui & ego colligere vetustiora testimonia. Bene vale. Calend. Ianu.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Nihil habeo, quod scribam, nisi versum antea ad te perscriptum: Pellitur è medio sapientia, vi geritur res. Sed addo: Fraudibus etiam praesidia quaeruntur. Audio hoc agi, vt VVestphalus fiat Lector in Academia Heidelbergensi, quod eò moliuntur quidam, vt sit magnanimus ibi defensor τῆς ἀρχολατρείας. Is scripsit etiã ad Erphordiẽsem cõcionatorẽ, vt mihi bellum inferat de hac propositione: Nihil habere rationẽ Sacramẽti extra vsum institutũ. Non defugio certamen, & periculum. Sed τῷ ἀμυνομένῳ βέλτιον ἕδεται. Et oro filium Dei vt hos ingentes fluctus sedare velit, & nos regere. Contentionem & necessariam & profuturam esse iudico. Teq; oro vt non properes. Bene & feliciter vale. 20. Iunij.

Philippus

Eidem.

Eidem.

S. D. Reverende vir & cariſſ. frater. Aliquanto minus deformis eſt Eccleſia, donec multi noſtri ordinis inter ſe & ſententijs & voluntatibus congruūt. Tueri igitur noſtram amicitiam ſtudebo. Et cùm maximè auidus ſim tui colloquy, quàm primum noua mihi exilia ſuſcipienda erunt, ad te accedam. Nam iſti noui liberatores orbis terrarum ita liberāt Germaniā, vt maior ſit metuenda vaſtitas. Nec obſcurum eſt, qui fuerint tubæ horum tumultuum. Sed Deo Eccleſiā & vos commendo. Oſiandro latinè reſpōdeo. Quod velles me περὶ ἀρτολατρείας ſcribere, tecum prius deliberare volo. Scū autem, à quibus explicatio impediatur. Et dat pœnas totum genus humanum prophanationis. Sed dolore impedior, quo minus prolixè de hac re ſcribere poſsim. Benè vale, & reſcribe. Medmanno mitte Epiſtolam ad ipſum ſcriptam, cui nuper nihil literarum miſi, quia cogitabā eum in caſtris eſſe. 3. Iulij.

Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariſs. frater. Non ſi tantum fundere lachrymarum poſſem, quantum

S. D. Reverende *vir & cariss. frater. Non si tantùm fundere lachrymarum possē, quātū voluit vndarū aut hic noster Albis, aut Visurgis vester istic, exhauriri meus dolor posset, quem circumfero iàm multos annos propter dissidium de re maxima, de qua scribis. Nec dubitatione crucior, cùm Antiquitatis sententia sit manifesta: Sed dolore ingenti excrucior, quod multi tantùm ex consuetudine iudicant, nec inquirunt, quid vetus Ecclesia senserit, Sed notha testimonia, & sparsa mirabilibus imposturis arripiunt. In Theophylacto Oecolampadius vertit, quod in suo codice inuenit, cùm sententiam tamen nequaquam probaret. At in nostro codice non erant illa verba de transelementatione. Possem multa recitare de veterum dictis, quia diligenter inquisiui vtriusq; partis testimonia. Quoties vidi gemitus piorū & doctorū, qui dolebāt multa magna mala stabiliri confirmato neruo de illa conuersione. Et nunc nostri vicini vociferantur de linea veste. De hac tanta re confirmant errores & armant Papistas. Malim de his rebus coràm tecum loqui. Te adhortor, ne ani-*

mum tuum dubitatione crucies, ac[illegible]enter plura tecum disseram. De descensu ad inferos oraui vtrosq́, ne in publicis concionibus certamina mouerent. Retineri articulus potest, etiamsi non omnes gradus ingentium dolorũ Christi intelligimus, de quibus illi disputant. Certè sic fuit apud inferos, vt victor. Credo repressam esse Diabolorum potentiam singulari modo. Et mortui multi exuscitati sunt, & Christus docuit exuscitatos perspicuam doctrinam de Messia. Non est necesse plura quæri. Scribam aliàs copiosius, teq́ oro, vt quàmprimum mihi significes, an hanc Epistolam acceperis.

Post Scripta.

Heri allatæ mihi sunt literæ à Francisco Dryandro, qui nunc Argentorati est cum familia. Conuentus Augustanus fortassis edicta parat, quæ mandabunt nobis: Veteres migrate Coloni. Deum oro, vt nos regat, & seruet aliqua doctrinæ hospitia. Benè vale & rescribe cariss. frater. Prid. Iacobi.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S 44 D. REVERENDE *vir, & cariss. frater. Dedi tabellario vestro ante paucos dies breuẽ Epistolam*

Epistolam, in qua significaui, querelas huc scriptas esse, περὶ δείπνου κυριακοῦ ad Pastorem nostrum. Ea de re arbitror nunc respondere Pastorem. Hæc te scire vtile est, vt concordiam vrbis vestræ facilius retinere possis. Disputāt Nestorianos esse, qui non fateantur τὸ σῶμα πάντα γοῦν εἶναι Hoc ne Papistæ quidem vnquam dixerunt. Vtinam docti aliqui colloqui possent. Sed omnem colloquendi facultatem sustulerunt, illi ipsi qui libertatis vindices se esse gloriantur. Quæso vt Petro aliquid des literarum de hoc negocio. Benè vale. Cal. Septemb.

Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. De itinere tuo & Herberti valde solliciti fuimus propter latrunculos, qui passim vagantur. Sed simul cogitauimus dictum Psalmi: Circumuallat Angelus domini timentes eum, ac vidimus multa exempla manifestæ protectionis diuinæ his annis. Gratis igitur pectoribus celebramus Deum ego & alij omnes hic, quòd vos Bremam reduxit. De alijs rebus plura per tabellarium Petrū scribam, qui post biduū iter ingredietur.

De quæstione, quam Lascius mouet, scripsit hùc ad Pastorem querelas Iohannes Amsterodamus. Oro te, vt quantum potes, des operam, ne in vrbe vestra certamina moueantur. Vtinam de vsu Cœnæ populus diligenter doceatur. Extra vsum nihil habet rationem Sacramenti. Et in vero vsu certissimum est, adesse filium Dei, & efficacem esse in vera consolatione, qui inquit: Ego in eis. Scribam ad Amsterdamum, ne certamina moueat. Tu quoq; tua prudentia & moderatione, quantum fieri potest, Deo iuuante, tranquillitatem vrbis tuearis. Bene vale. Die 29. Augusti.

Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carisſ. frater. *Etsi magis ad nos pertinet cura de dogmatum controuersijs, tamen & Pannonica bella omnes scire refert, ac vt sunt* τολλὰ πολέμου κενὰ, *Existimo varias fabulas ad vos perferri. Sed scito duos exercitus Ferdinandi in Hungaria esse. Alter in Zepusio est, vt recuperet Transyluaniam, quam occuparunt ductores Filij Ioannis, tradendã haredi, filio Iohannis. Ibi recens ex nostrũ quin-*

quingenti milites interfecti ſunt, & erepta noſtris machinæ. Hic vtrinq; res geritur per eos, qui Chriſtiani nominantur. Alter exercitus ducitur à filio regis Ferdinandi, Ferdinando, verſus Budam, contra Turcos. Hic exercitus Archiducis Ferdinandi adhuc Dei beneficio incolumis eſt, & recens duas arces occupauit. In altera vi capta trucidati ſunt 600. Turcæ. Nec vſq; ad initium Octobris alia digna fide ad me perſcripta ſunt. In Hungaria recens noctibus 17. continuis conſpectæ ſunt duæ ſtellæ inter ſe dimicantes: altera Orientalis, altera ab occaſu volitans. Tandē vicit orietalis & progreſſa eſt ad Meridiem. In Polonia & in Pannonia adeò creſcunt certamina περὶ τῆς ἀρτολατρείας, vt neceſſeſit pios & doctos communi deliberatione conſilia quærere ſanandis aliquorum animis. Benè vale & reſcribe. 13. Octob.

Philippus.

Eidem.

S.D. REVERENDE vir & cariſſ. frater. Plurimum prodeſſet, me iam ſcire ſermones Comitis cum duobus Principibus, vt ſcis. Iam enim conſtitutum eſt, vt conueniant multarum Eccleſiarum doctores in oppido

Phorcenſi & Principes multi conuenient ibi ad ſacrum nuptiale Marchionis Badenſis Caroli. Ibi deliberatio erit de VVimarienſi ſcripto. Noſtri remiores mittunt. Et ſuadebo, ne quid ibi diſputetur, & ne noua certamina accendantur. Miror cur in ſacro nuptiali hæc agi velint, cùm profectò res tantæ ſubito agi non poſſint. Ego ad illum Phorcenſem conuentum me non mitti gaudeo, & exiſtimo certo conſilio me non mitti. Oro Deum, vt liberet me ex Sophiſtica horum temporum. Licentia quæritur à vulgo, & priſtigijs Sophiſmatum confirmantur vulgi cupiditates & ἀρχιολογία. Editum eſt ſcriptum Hildesheimenſe, cuius architectum eſſe Merlinum audio, vbi etiam inſertæ ſunt ſuggillationes. Sed ſine nomine. Oro filium Dei, vt nos gubernet. Benè vale & reſcribe. Die 18. Septemb. Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende vir & cariſſ. frater. Scripſi tibi in proximis literis, quas tradidi familiæ Doctoris Friſij ad Comitem Chriſtophorum proficiſcentis: iam in vicinia veſtra factum eſſe περιούλωμα conuentus Theologici, quod damnari iubet eos, qui

non probant τὴν ἀρτολατρείαν. Nec additur, quomodo ea de re doceri velint. Existimo autem Principes illos, ad quos missum est, flagitaturos esse, vt audiantur exules docti & honesti, qui sunt Francofordiæ & Argentorati. In eo certamine te adesse velim. Et vt ad id tempus differas consilia tua, te adhortor. Vides quanto furore hanc postremã mundi εἰδωλομανίαν hostes filij Dei tueantur, de qua cum magno dolore quotidie cogito, & filium Dei oro, vt ipse opem ferat electis, & neruos εἰδωλομανίας ex illo cætu qui veritatis studium habet, auferat. Nam profectò non humanis consilijs reprimi Diaboli potentia potest: ac gemitus piorum spero non fore irritos. Benè & feliciter vale. Die 20. Iunij. Philippus Melanthon.

Idem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Et Hugonis, & Paschasij, & Vigilij Martyris, & Longobardi expressa testimonia sunt de loco corporis. Sed hæc ætas quàm sit audax, & quàm irreuerẽter de vera antiquitate Ecclesiæ sentiat, res ostẽdit. Nunc vicini nostri ituri ad conuentum Ratisbonensem, fecerunt προβούλευμα, vt veteres nominabant, se damnaturos esse eos, qui nõ probant,

Stoicam neceſſitatem: Item τὴν ἐργολαβίαν. *Quid agi recte poteſt, cum talia præiudicia afferuntur? Si procedet colloquium, te certo vocari petam. Oro autem filium Dei, vt nos gubernet, & illuſtret ipſe veritatem & veram inuocationem. Nouum certamen mouet Pragæ Cynicus, qui Caniſius nominatur, de Inuocatione Mediatoris, de qua aliquid dixi in Pagellis, quas mitto. Bene vale. Die 17. Iunij.* Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. *Non ſum oblitus noſtræ conſuetudinis atq; amicitiæ, teq; abſentem & amo & ſæpe mente requiro. Tibi quoq; eam tribuo conſtantiam, vt ſtatuam adhuc me abs te diligi. Oro autem te, vt ſcribas nobis aliquando de omnibus rebus tuis. Etſi atroci edicto contra nos nominatim propoſito ſumus: tamen Deum æternum patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti ſpero protecturum eſſe ſuam Eccleſiam, in quibus tua voce & ſimilium ſonat Euangelium. Hunc Iuuenem Matthiam, quæſo vt in aliqua Schola colloces. Exulat propter Euangelij amorem, & poteſt ſeruire Eccleſijs. Ideo dignus eſt, quem iuuemus. Bene vale. Die 14. Maij.* Philip. Melan.

Philippus Melanthon. D. Nicolao Buscodicensi.

S. D. *Carissime D. Nicolae. Non sum Stoicus: & aliquanto fortius cum Stoica secta bellum gero, quam nostri Duces ad Danubium & Albim bellum gesserunt. Quare non fatali necessitate nos in has miserias incidisse iudico: sed plecti nos statuo, propter multa* ἑκουσίου *delicta. Cumularunt sibi pericula nostri principes lõgi tẽporis* πολυπραγμοσύνῃ, *& auxerũt odia multa nõ necessarijs* μορύβοις. *Nacti igitur occasionem inimici, simul & ipsos & veritatem opprimere conantur. Nam post hoc bellum sequentur edicta, vt Synodi sententiæ recipiantur, & aliqui recipient. Nec nulla sunt* [illegible]*ata populi & docentiũ, quæ irritarunt iram Dei. Quare veris gemitibus petamus à Deo veniam, & mitigationem publicarum & priuatarum ærumnarũ. Hispani milites Ecclesiarum pastores interfecerunt in vicinia VVittebergæ: & in his sanctum senem pastorem Ecclesiæ Kembergensis, primum maritum. Nec verò dubito Deum vindicem sanguinis sanctorum sacerdotum, puniturum esse Hispanorum crudeli-*

tatem, & facturum conuersionem horum tumultuum reuocandam. Commendo tibi hos adolescentes Tilemannum & Henricum. Tilemannus mouet, fore vt parentes eum auellant à literis. Tua igitur autoritate perficies, vt rursus in Academiam aliquam mittatur, Louaniensem, aut Heidelbergensem, vbi Micillus docet, & doctrina Ecclesiæ rectè traditur. Benè vale. 10 Maij. Anno 1547.

REVERENDO VIRO ERVDITIONE ET VIRTVTE PRÆstanti D. Alberto Hardebergio, Doctori Theologiæ fideliter docenti Euangelium in Ecclesia Bremensi, fratri suo carissimo.

52

S. D. Carissime frater: Cum esset initio magna opinionũ confusio, & Augustæ Anno 1530. Confessio exhibenda esset, nemo complecti integrum doctrinæ corpus voluit. Ego magno cum periculo complexus sum, ac tot iam annos laboro, vt extet summa doctrinæ propriè explicata. Idem ago in hac symboli Niceni enarratione, vt posteritas habeat integram Ecclesiæ doctrinam. Mitto autem tibi, vt sapienti censori, liberè, verè, dextrè

dextrè iudicanti. Nec curo vel odia Tyrannorum, vel Sycophantarum rabiem. Quæso, vt legas, & iudicium mihi tuum significes. Mittas quæso in Britanniam literas & pagellas Cantuariensi inscriptas. Benè vale. 28. Maij. 1550. Philippus Melanthon.

Inclyto Comiti & tuis collegis salutem opto. Item seni optimo Nicolao Buscod. & Petro Medmanno.

REVERENDISSIMO Domino Archiepiscopo Ecclesiæ Cantuariensis, eruditione & vera pietate præstantissimo, Patrono suo reuerenter colendo.

REVERENDISSIME Domine. Et Epistolam & libros quos misisti, reddidit mihi Germanicus adolescens, ex Anglia in Patriam rediens, mense Maio. Legi certamen, & dolco eos, qui quærunt veteratestimonia, non velle perspicuitatem eorum agnoscere. Nec verò dubium est, quid saniores in veteri Ecclesia senserint. Sed impostoras audi. Multis libris

noue

noua & nothæ sententiæ assutæ sunt. Idin Theophylacto accidisse certum est. Nam quod Oecolampadius in suo codice (cùm quidem rem non probaret) sed vertit tamen: Idin nostro codice prorsus deerat. Idem accidit in Bedæ libris, quos tamen arbitror apud vos inuenirí incorruptiores. Mitto vobis partem enarrationis Symboli Niceni, & mitto tanquam censoribus, tibi, Lascio, Bucero, Petro Martyri, & alijs doctis & candidis. Benè vale. 28. May. 1550.

D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverendevir, & cariss. frater. Tuam Epistolam de pastore Stadiana Ecclesiæ scriptã accepi post Lipsici Mercatus finẽ: ac statim Henrico Buscoducẽsi ostẽdi. Is narrabat eum Brabantũ, qui adhuc adest, ãtea non gubernasse Ecclesiam, & à tàm difficili gubernatione abhorrere. Alter in Prussiam profectus est. Cùm de alio deliberaremus, censuimus hunc honestum & doctum virum adte mittendum esse, Ioachimum Neuman VVismariensem quem iudicamus idoneum esse ad gubernationem frequentioris Ecclesiæ propter multas eximias dotes. Magno in ea

est

est moderatio in omnibus actionibus, & mores sunt casti & sancti. Est enim Paterfamilias, & hic specimen præbuit eruditionis & integritatis. Docuit alios fideliter, & paupertatem modestè tulit. Eruditio est eximia, & prudentia & facundia ornare ministerium poterit. Scio te censorem ingeniorum non hebetem, probaturum esse hunc virum, ubi aliquot aierum consuetudine naturam, mores, iudicij grauitatem consideraueris. Quare te valde oro, vt hunc Ioachimum senatui Stadensi diligenter commendes. Si quid iudicare possum, in hoc viro commendando profecto non erramus. Itaq; & Ecclesiæ benè consules, & honesto & docto viro beneſacies, si autoritate tua impetrabis, vt Stadensis senatus hunc Ioachimum in deligendo Pastore aliis anteferat. Donec possumus, & Ecclesias foueamus, & tales viros tueamur, quorum agmen verè est exercitus Christi. Minus deformis est Ecclesia, donec aliquos habet tales pastores, & quidem concordes, qui eam ornant eruditione, sanitate iudicy, bonis exemplis, & vera pietate. Benè vale. Cal. Maij 1551.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Est omnino egregia virtus, & adsci amicorum animos, & portum eis ostendere. Tu cum virumq; facias, tua virtus laude digna est, & Deum oro, ut vicissim tibi benefaciat. Sicut scriptum est: Beatus qui intelligit super egenum & pauperem. In die mala liberabit eum Dominus. Scias autem Dei beneficio me tranquillo animo esse. Tecum vivere cuperem, ut haberem cum quo colloqui & deliberare de magnis rebus possem. Nunc enim mortuo Principe Georgio Ascanio, magis etiam sum solus, quàm fui antea. Et fortassis bella harum regionum præbebunt mihi causam migrationis, etsi non minus rabiem ingeniorum, quàm bella fugere cupio. Mitto tibi pagellas de Mediatore. Prior pars manifesta est, & tamen in aula Marchica libellus circumfertur, contra hanc simplicissimam & verissimam partem scriptus. Valdè autẽ te oro, ut de utraq; parte tuum mihi iudicium significes. Nunc Senatus Augustanus misit mihi Stenckfeldij scripta, & flagitat refutationem, quam tibi mittam. De multis magnis rebus tecum colloqui cupio, & Deo iuvante colloquar, quas

non

non possum in Epistola complecti. Angelica Ilias sanè mirabilis est. Si quid scis de Cantuariensi & Lascio, significa. Nam ego audio Lascio ademtam esse gubernationē. Doleo & optimum adolescentem regem crudeliter fraude suorum necatum esse, & Ecclesiā ibi hoc tāto vulnere accepto rursus dissipari. Bene & feliciter vale. Prid. Cal. No. 1551.

Philippus Melanthon.

86 Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariss. frater. Nomen Stancari te audisse opinor. Italus est & linguam Ebream praeclarè didicit: aliarū literarum atq; artium rudis est: & natura contentiosa & cauillatrix est, ac sollicitissimè defēdit την ἐξελατρειαν. Is gloriatur se collegisse aliquot centurias errorū in meis scriptis. Cùm proferet indicabunt eruditi. Nam ego nondū scio, quid reprehendat. Tantùm hac de re iam nociferatur. Non vult dici Christum Mediatorem secundū diuinam naturam & humanā. Sed contendit Mediatorem esse tantum secundū naturam humanā. Scis in 3. lib. sentent. distinct. 19. hac de re disputari. Quæso significes mihi tuas cogitationes. Vetustas quomodo locuta sit non ignoras. Apud Epiphanium est illustris locus pagina 488. in græco textu. Conci-

Concinit huic sermoni sanctus Apostolus Paulus dicens: Unus Deus, unus etiam mediator Dei & hominum, homo Iesus Christus. Qui non rapinam arbitratus est esse, quòd esset æqualis Deo, sed seipsum inaniuit, forma serui assumpta. Vides quod hominem ipsum pronunciauit, sed non nudum. Mediator enim Dei & hominum est, quoniam in medio vtrorumque est, ad Patrem quidem suum Deus existens naturaliter unus, genitus: ad homines verò homo naturalis, genuinus, ex Maria citra semen viri genitus. Sic enim est mediator Dei & hominum, Deus existens & homo factus, non mutatus naturam, sed secundum vtraque ad ambo medius existens.

Nec vero in his suffragationibus tantùm acquiesco. Sed fundamẽta considero: Mediator est & Deus & homo, & vt possit sustinere pœnam, & vincat, & sit æquiualens pretium. Et sic inuocamus Christum Mediatorem. Et suffragatur nobis Epistola ad Ebreos. Peto vt reseribas. De vaticinio quod meo nomine circumferri scribis, risi & vanitatem eorum qui spargunt: & credulitatem eorum, qui has nugas audiunt. Genus sermonis

monis testatur illam prædictionem, quam misisti, à me non esse scriptam. Sed aliam me scripsisse multi norunt, in qua prædixi non fore diuturnum fœdus gallicum. Id euentus comprobauit. Scis me abesse à bellorum consilijs. Quanquam enim scio, aliqua esse iusta bella: tamen quales habeamus Duces & Milites experti sumus. Oro filium Dei vt Ecclesiam suam regat & protegat. Benè vale. die Brumæ, Torgæ. Salutem opto nobis omnibus Medmanno & Nicolaö, & alijs amicis. Philippus.

Cogita.

Filius Dei λόγος dicitur, quia sic patefactus est, quód in creatione per eum vt λόγου res conditæ sunt, & in reconciliatione per eum patefactum est decretum redemptionis & restitutionis. Sed est imago totius patris. Non sunt autem imago integra patris illa decreta creationis & redemptionis. Item cũ liberrime cõditum & receptum sit genus humanum, non satis est docere, filium esse illa decreta, quia filium esse semper, necessarium est. Item, vsitatè dicitur: simul esse personas tres in sanctis. Quæro quo ordine? Augustinus ait, Quotidiè mitti filium in corda

 sanctorum.

ſanctorum. Sunt ne filij & ſpiritus ſancti diſtincta officia? Aliquid de hac re, in primo ſentent: diſtinct. 15. dicitur. Et Athanaſius expreſſe ait; Quoties dicitur in aliquo eſſe Spiritus ſanct9. intelligitur & ibi eſſe verbum, per quod datur Sp. S. Et de perſona loquitur, non tantum de dono. Stancarus in Academia Francfordiana mouit certamen, & contendit Chriſtum tantùm eſſe mediatorẽ iuxta humanam naturam. Etſi ſunt quædam talia dicta in Longobardo, tamen nos pronunciamus, tres eſſe gradus Idiomatũ: Quædam ſoli naturæ diuinæ competunt, vt non mori: Quædam ſoli humanæ, vt poſſe mori, lacerari. Quædam toti perſonæ, vt eſſe mediatorem & ſacerdotem. Mediator autem eſſe non poſſet, ſi homo tantùm eſſet. Quis mediatorem oportet talem eſſe, qui exaudiat, videat corda, Patris & noſtra. Quæſo cogites & reſcribas.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariſs. frater. *Si vna communis legatio, nomine omnium Eccleſiarum aut certè plurimarum, quæ puriorem doctrinam profitentur, miſſa fuiſſet, vt*

ante

ante annum suadebã, nec labores nec pericula, nec calumnias metuissem. Sed cùm nos soli mitteremur, secuturæ erant nouæ reprehensiones. Quare sparsa belli famâ, seu moto potius bello regressus sum ex itinere. Nec huius mei reditus reprehẽsiones curo. A belli cõsilijs prorsus alienus sum, nec quid agatur scio. Nunc aiunt cinctã esse obsidione Vlmam. Accepi recentes litteras à Francisco Dryandro, qui narrat Argentinã tunc quidem nõdum à fœderatis sollicitatam fuisse, vt se eis adiungeret. Studia doctrinæ Dei beneficio hîc adhuc mediocria sunt, & oro Deum, vt harum Regionum tranquillitas diuturna sit, vtinam & Principes de communi defensione Patriæ aduersus Turcicam tyrannidem cogitarent. Certum est enim maiores exercitus Turcicos & Tartaricos adduci in Pannoniam, quàm vlli Turcici antea adducti sunt. Nos assiduis votis & gemitibus Ecclesiam filio Dei commendemus, quem scimus ideo humanam naturam adsumpsisse, vt ipse nos sustentet & seruet. Osiander nouos Libros contra me edit, quos nondum vidi, cùm quidem nemo ei responderit mollius, quàm ego. Tuum iudicium

etiam audire cupio. Bené vale. Cal. Maj. 1552.

Philippus Melanthon.

Exemplum Epistolæ ad Iohannem Amsterodamum missum, à Philippo D. Alberto Hard.

S. D. Reverende *vir & amice carissime. Sæpe intuens hunc Albim nostrum cogito: Non si tantum funderem lachrymarum, quantum hic fluvius undarum vehit, exhauriri meum dolorem posse, quem multis annis circumfero propter dissidium de Cœna Domini, in quo tam multa disputantur extra causam. In usu verè & substantialiter adest Christus, & est efficax in vera consolatione. Cur mouentur disputationes de inclusione extra usum? Doceo eadem, quæ leguntur in meis scriptis. Et in eam sententiam facta fuit formula concordiæ ante annos sedecim inter Lutherũ & multos, qui ex 20. Ecclesijs superioris Germaniæ huc adnenerant: Deum oro, ut nos omnes gubernet.*

Bené vale. Philippus.

Reueren-

Reuerendissimo Domino Archiepiscopo Ecclesiæ Cantuariensis, sapientia & pietate præstanti, Domino Thomæ, &c. Patrono suo colendo.

S. D. Reverendissime *Domine Archiepiscope. Scimus vtrũq; voce diuina prædictum esse, & futuras esse maiores confusiones generis humani in hac vltima & delira mundi senecta, quam fuerunt antea, & tamẽ etiam inter Imperiorũ ruinas filiũ Dei collecturum esse æternam Ecclesiam. Hac me cõsolatione in his Germaniæ tumultibus sustento. Comperimus hoc anno mirabiliter protectas esse Ecclesias in ea ora Pannoniæ, quã nominant Transyluaniã. Eduxerunt Turci magnos exercitus Tartarorum. Hos in Pãnoniam ducturus erat Walachorum tyrannus crudelissimus. Hic in ipso apparatu tantæ expeditionis à seruis propter crudelitatẽ interfectus est. Ita dilapsa multitudine seruatæ sunt Ecclesiæ Pannoniæ. De bellis Germanicis eò nihil scribo, quia nostræ literæ tardè ad vos perferuntur. Interea multa fiunt magis ἀξιόλογα. Nunc verò mitto ad R. D. T. duos libellos, ac oro R. D. T. vt curet exhiberi alterum inclyto Regi, alterum eius Doctori.*

Quoquo autem modo de his nostrorum hominum studijs istic iudicatur: tamen mihi placet nostros honorificè ad vos scribere. Et Mathematum studia commẽdari regi omniũ eruditissimo honestum est. Bene & feliciter valeat R. D. T. Salutem opto illustri & reuerendo viro Ioanni à Lasky. Die 4. Iulij 1553.

R. D. T. addictus. Phillipus Melanthon.

60 D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir, & carisſ. frater. Mense Martio fuit conuentus in vrbe ad Salam Naoburga, in quo Duces Saxoniæ omnes, Marchiones Brandenburgenſes, & Landgrauij Heſſiaci beneficio diuino hæreditarium fœdus renouarunt. Et existimatur hæc conjunctio ad pacem harum Regionum profutura esse. Simul etiam omnes decreuerunt, se Deo iuuante retenturos esse doctrinam confessionis Augustanæ, & non recepturos corruptelas papisticas, aut alias. Hæc consilia Deus adiuuet. Tibi spero hanc narrationem iucundam fore. Oro vt sis memor Ioannis Reineri Oldenburgensis, qui posset esse vsui vel in Aula, vel in Vrbe aliqua, Syndici offi-

cio,

cio. vir honestus est & modestus, & propter prudentiã & cognitionẽ Iuris vtiliter in tali munere versari potest. Filios tres habet, & vnam filiam. Quæso vt de eo cogites. Benè & fœliciter vale. Prid. Cal. April. 1555.

Philippus.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Tibi quidem gratiam habeo, quòd & sæpe & copiosè scribis, & libenter te remunerarer αὐτῷ τῷ μισθῷ, καὶ λόγῳ, vt Hesiodi verbis vtar. Sed nunc quidem, quales tabellarios habeam, nescio. Duo sunt genera argumẽtorum, de quibus maximè cupio scribere. Alterum περὶ δογμάτων de quo, etsi tibi penitus mens mea nota est: tamen collatio sententiarum vtriq; grata esset. Alterum est deliberatio de dissidijs, de quibus scribis. De his sanandis, cum nihil habeam consilij, scribere quid possum? Et causas scis, cur illud malũ sit insanabile. Doctos colloqui necesse erat. Sublata est autẽ omnis colloquendi facultas per illos ipsos, qui se iactitant esse libertatis vindices, qui tantum seruiunt auræ populari: quorum aliquos nihil dubito,

etiam

etiam repugnante conſcientia, neruos quoſdam errorum ſtabilire. Quotidiè autem oro filium Dei, vt ipſe opem ferat Eccleſiæ, & nos gubernet, & reprimat errores, Moneo etiam dociles, ne fontibus non inquiſitis contentioni ſe admiſceant. Mediocri diligentia alias cõtroueſias euolui. De hac etiam dicã Deo iuuante, cũ edent cõtra me ſcripta vicini noſtri, quæ circumferunt inter ſe. Audio enim velle eos contra me defendere ſtoicam ἀνάγκην, & alia quædam mouere. Hæc cum edent, iudico me Eccleſiæ hoc officium debere vt reſpondeam. Qua in re tuis etiam conſiliis vtar. Bene vale, cariſſime frater. Mitto tibi paginam, in qua ſunt annotata quædam de gentium originibus, quæ leges, vt ſpero, cum voluptate. Mitto alterum exemplum Comiti Oldenburgico. Iterum vale. 21. Iunij. 1555.

Philippus.

Reſcribe an has literas & paginas Stirpi Chriſti acceperis.

62 D. Alberto Hardebergio.

S. D. Reverende vir & cariſſ. frater. Scio te virum eruditum & ſapiente multa

cogi-

cogitare de communi infirmitate generis humani, & nosse consolationum fontes, quæ & in doctrina Ecclesiæ proponuntur, & in aliorum sapientum sermonibus. Sed vox diuina in Ecclesia ostendit portum harum miseriarum, ut de Stephano scriptum est: (Nã hanc Epistolam dedi nuncio, die Stephani) Ibat ouãs animis & spe sua damna leuabat. Cum igitur aliquanto post in luce clarissima Deum & filium eius D. N. I. C. & totum agmen cæleste visurus sis, mino doleas, quòd nunc oculi sunt hebetiores exiguo tempore. Oro autem F. D. dominum nostrum I. C. vt te & nos gubernet. In his Academijs studia eadem sunt doctrinarum, quæ vidisti. Et honesti ac docti viri omnes te diligunt, et sæpè honorificam tui mentionem faciunt. Pagellas vobis mitto, meo more, quæ Academiæ studia ostendunt. Metuo nouum bellum, de quo plura scire potes. Nam apud vos colligi copias Comitis Alberto dicitur. Oro F. D. vt nos omnes gubernet, ac protegat nos. Benè & fœliciter vale. Die Stephani. 1555.

Philippus

Eidem.

S. D. Reverende *vir, & carissime Frater. Multi Principes petunt, vt Synodus indicatur in nostris Ecclesijs: In ea Synodo necesse est loqui & de illa controuersia de qua scribis: Sed vide voluntates quorundam. Couenerunt in Oppido Mollen prope Lubecam Concionatores ex aliquot littoris illius vrbibus, qui iam fœdus fecerunt, se non venturos esse ad eum Synodum, & de hac ipsa quæstione, de qua scribis, Decretum fecerunt, se defensuros esse* τὴν εὐσεβείαν. *De hac tota re, vel in Synodo, si procedet, vel aliàs tecum coràm loquar, quia nec literis ista committere possum, & iam alio magno labore occupatus sum in responsione adornanda de multis doctrinæ articulis, ad quendam potentem & bonum Principem. Benè vale. Die Martij. 1556.*

Philippus.

Dei beneficio filius cõsulis Danielis rectè valet. Tribuam ei locum in mea mensa, & studia inspiciam. Heri mihi scriptum exhibuit vt de Præceptore deliberem.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariss. frater. Etsi in conuentu Ratisbonensi decretum est de colloquio: tamen Episcopi statim contradixerunt, & sunt talia decreta χρήματα πολιτικὰ λόγῳ, vt nominant vterq; Herodotus & Thucydides. Nec existimo vllos gubernatores istic tecum velle institui disputationem. Pellitur è medio sapientia, vi geritur res. Oro autem filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, vt gubernet te & nos omnes. Si res ad disputationē deducetur, initio erunt veterū scriptorū expressa, luculenta, manifesta testimonia proferenda, de vtraq; quæstione περὶ τῆς παιδείας, καὶ περὶ τῆς ἀξιολατρείας, Ac vrgenda est regula: Nihil extra vsum, habere rationem Sacramenti. Petes autem vt ex Academijs aliqui vocentur. Bene & feliciter vale. In Pascate Anni. 1577.

Philippus.

S. D. Reverende vir, & cariss. me Frater. Crescit, vt vides, non modo certamen,

certamen, sed etiam rabies in scriptoribus, qui ἀρτολατρείαν stabiliunt. Itaq; confugiamus ad F. D. Dominum nostrum I. C. & petamus, ut ipse sit βραβευτὴς huius certaminis. Incitantur aulæ & gynæcea. Quare de literis ad Regem scribendis hoc consulo, vt reuerenter scribas, te orare, ne Rex credat calumnijs, sed tibi alteram aurem seruet, ac petas, vt cùm tanta sit ipsius autoritas, vt piam Synodum indici curet, in qua & explicetur tanta controuersia, & non tantum inimici tui audiantur, sed etiam alij docti viri. Aut si ad VVormatiense colloquium aliqui cõuenturi sint multorum Principum Legati, seu delecti ad colloquendum, mittat Rex suos aliquos. Quia necesse sit tunc & nostros inter nos de hac causa conferre, cùm alij aliter loquantur etiam ex nostris. Talem generalem responsionem primùm mittas. Interea & confessionem tuam cõponas, & expressè dicas, quousq; progrediaris, quas propositiones retineas, & quas nõ retineas, & sine rixis adde aliquot illustria testimonia ãtiquitatis sinceræ. Hac προσεκενὴ necessaria est, si res ad disputationem deduceretur. Interea autem velim te in concionibus non sæpè ad hanc

quæsti-

quæstionem digredi. Nescio quid præterea moneam. Deum oro, vt nos omnes gubernet. Benè & feliciter vale. Die 9. Maij. 1557.

Philippus.

56 Eidem.

S.D. REVERENDE *vir, & carissime frater. Etsi Synodus non conuenit in Vrbe Parthenopea, tamen odia non sunt extincta nec sunt consumtæ artes inimicorum, quibus nos opprimere conantur. Moliuntur illi non parua. Sed nos teneamus illud Psalmi: Sileas Deo, & ora eum. Neminẽ irrito, & oro filium Dei, vt nos gubernet & protegat.*

Senatus Noribergensis non voluit accedere suos πρὸς τὴν σύνοδον. Responderunt & alij quidam se eò non accessuros, ne nouas disputationes facerent. Macedo misit honorificum testimonium de Francofordianis articulis, cui hodiè de te & me scripsi. Mitto Comiti Christophoro, tibi & Medmanno libellos χρονολογικούς, quorum lectionem non insuauem vobis futurã esse spero. Te oro, vt exhiberi cures, & mihi rescribas. Eberus Lipsiam expatiatus est. Possem multa scribere, sed literis non sunt committenda. Benè vale & rescribe. Die. 16. Maij 1558.

Philippus.

67 Eidem.

S. D. Reverende *vir, & cariss. frater. Haud dubiè citò peruagabitur Germaniam liber editus titulo Ducis Saxoniæ Ioānis Friderici, quē ceu Gorgonem & Palladis AEgidem applausores ipsius multis opponēt. Audio adhibitos esse, Architectos* τὸν βλάκιον, τὸν ῥᾶπτήρα, *id est, Sarcerium & Morlinum: Vbi legeris, quæso aliquid mihi de tuo dolore significes. Tigurinos responsuros esse arbitror. Polonici conuentus acta nondum scimus, de quo tibi scribam, quidquid* ἀξιόλογον *habebimus. Duobus incendijs audio impeditos esse congressus in eo oppido, ad quod nobilitas conuocata fuit. Oro F. D. vt nos gubernet. Benè vale. Die 6. Feb. 1559.*

Philippus.

68 Eidem.

S. D. Reverende *vir, & carissime frater. In Mercatu Lipsico scripsi hanc Epistolam, vt narrabit hic Ciuis vester, vbi cum interpellationes fuissent manè assiduæ, nō potui prolixè scribere. Ea nocte quæ secuta est lætissimum diem Paschatos, ex oppido Iena captiui abducti sunt Pastor Eccle-*

sia

ſie Ienenſis, ſenex tibi notus Andreas, & Victorinus, quia non approbarunt Areopagiticum librum. Gothæ his diebus auditi ſunt à Principibus, & in carcerem reducti. In Auguſtano conventu res eò deducetur, ut flagitetur Pontificia Synodus, quam nunc & Rex Gallicus, & Burgundus petunt. De his tãtis rebus ſcribam plura, cùm Domum rediero. Benè vale. Die 20. Aprilis 1559.

Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariſſ. frater. *Nondum ſcimus, quid de Gorgone vicinorum Principes reſponderint. Solius Macedonis reſponſionem vidi, quæ non eſt timidè ſcripta. Oſtendit ſibi non placere, confirmari* τὴν ἀξιοδοξίαν, *& ſuppliciis piorum. Sed quicquid reſciſcã, tibi ſignificabo. Nunc pagellas mitto de Bauaricis articulis, in quibus eſt & quæſtio de humana voluntate. ubi non volui labyrinthos inextricabiles cõſtruere: ſed pijs oſtendi præſidia contra ſæuas tentationes. Hanc verecunda et piam cõmemorationẽ inimici mei atrociter reprehendunt.*

Sed

Sed tuum iudicium, vt mihi significes, te valde oro, Vides quales Sophistæ adhibiti sint ad illam vicinorũ Gorgonem scribendã. Sed precenur F. D. vt opẽm ferat suæ veritati. Existimo non defuturos esse, qui falsa refutent. Comiti Christophoro & Medmanno salutem opto, & mitto pagellas.

Benè vale & rescribe. Die 20. Martij. 1559. Philippus Melanthon.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariss. frater. *Antequam Lipsiam profectus sum, domi ad te scripsi: Quia in mercatu maior est negotiorum concursus. Sed tamen cum Lipsiæ ad me Ciuis vester venisset, hanc Epistolam priori addidi. Hic intellexi Legatos Principum Palatinorum, VVirtebergici & Hessiaci in itinere esse petituros à nostro Electore, vt Synodus indicatur. Quæ sint illorum consilia de forma synodi & gubernatione disputationum nondum audiui. Sed quicquid resciero, tibi significabo. Curabo etiam agi apud Senatum Bremensem, ne sinant rem deduci ad theatricam disputationem. Plura scribam, cum domum rediero. Bene vale cariss. frater, die 5. Ian. 1560.* Phil.

Eidem.

S. D. Reverende vir, & carissime frater. Prius, vt ratiocinor, accipies literas ciui vestro datas, quàm has. In illis quid mihi de theatrica disputatiõe videatur, scripsi. Simul etiam significaui, veteris & purioris Ecclesiæ testimonia cõiungẽda esse, ad quæ & ego prouocaui in literis scriptis ad Ducem Wirtebergicum, qui me atrociter accusat, quòd naturas in Christo dirimã. Petiui non solùm, vt me prius audiat, quàm condẽnet, sed vt simul veterem & puriorem Ecclesiam audiat. Et maneo in hac sententia, vt non instituas publicam disputationem, nisi prius dẽtur iudices ex Ecclesijs, quas nominare vtrique poteritis. Deinde initium facias à veteris Ecclesiæ testimonijs. Epistola tua, quam hic senex attulit, ira cunde scripta fuit. Meam contationem seu moderationem accusas, de qua causas grauissimus scribere possem. Sed nunc solã hãc cõmemorabo. Oro te, veniam vt mihi des, qui solus non volui formulam de re tanta componere. Adsensit mihi & Snepius in vrbe Vangionum, quod formulam cum paucis componere nolebam.

Totos iam viginti annos expecto exilia, propterea quod ostendi me ἀργολαργείαν non probare. Cumq; videas, qualis rabies sit in his, qui ediderunt in illo littore centurias suffragiorum, existimes me contationis meæ causas habere. Impedior etiam quotidianis occupationibus, ne integrum opus instituam. Sed desino, & oro filium Dei, vt nos doceat & gubernet. Benè vale. Die 12. Ian. 1560,

Philippus Melanthon.

72

Eidem.

S. D. Reverende vir, & cariss. frater. Auidissimè tuas literas expecto, teque oro, vt quoties poteris mittere, ad nos scribas. Heri hic narratum est, Tilemannum rediturum esse Rostochium. Mihi non videtur verisimile. Dux Wirtebergensis misit formulam περὶ μνησείων ad nostrum Principem, in qua retinet & pingit τὸ παντάχοθεν. Petiuit vt exhiberetur his Academijs. Sed nõ est exhibita. Recens edita sunt veteris scriptoris Marcarij cõciones, in quibus pagina 382. hæc sunt verba: καὶ ὅτι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ πρόσφορός ἐστι ἄρτος καὶ οἶνος ΑΝΤΙΤΥΠΟΥ τοῦ σώματος καὶ αἵματος, καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες τὸ

ἡ φαινομένου ἄρτου πνευματικῶς τὴν σαρκα κυρίου ἐσθίουσι. *Scio te libenter tam vetus testimonium lecturum esse. Benè vale, & rescribe. Anno 1560. Die 9. Feb.*

Philippus.

73 D. Alberto Hardebergio.

S. D. REVERENDE *vir, & carissime frater. Etsi non existimo Senatum permissurum esse, vt theatrica disputatio instituatur, tamen quidquid erit, velim te in promtu habere Antiquitatis eruditioris illustria testimonia, & inprimis hoc vrgere: Cùm nouum sit Pontificium dogma pugnans cum puriore Antiquitate, cogitandum esse, quid sentiendum sit. Nuper dux Wirtebergensis ad Electorem Saxonicum misit decretũ, in quo defenditur* τὸ παντάχου εἶναι σῶμα; *Et subscripserunt multi Abbates. Hi nunc sunt dogmatum Architecti. Confessionem illius viri qui in Parlamento Lutetiæ fuit, & recens supplicio affectus est, quæso vt mitti cures. Pagellas tibi mitto. Benè & feliciter vale. Die 28. Feb. 1560.*

Philippus.

74 Eidem.

S. D. REVERENDE *vir, & cariss. frater*

Cùm heri alteram Epistolam scripsissem, quam nuncius affert, postridiè venit huc M. Rostochiensis Posselius vir doctus, qui mihi narrauit certò Heshusium redire ad Academiam Rostochianam. Sed tamen gloriari, se ad disputationem accessurũ esse Bremam. Cogitaui horum consiliorum Architectum esse Morlinum, & is habet socios harum technarum artifices. Scribam Dauidi Chytræo, ne instituant disputationem theatricã, quæ non paruos motus excitatura sit, si procedat. Tibi etiam hortator sum, vt si te in certamen vocabunt, postules tibi quoq; concedi, vt accersas Petrum Martyrem, me, & alios quosdam amicos. Noui genesin Morlini, & sæpè ei prædixi, eum moturum, quæ sedari non poterit. Si Senatus Bremensis & Collegium vestrum permittent institui theatricã disputationem, multi sapientes iudicabunt eos imprudenter facere. Et hanc meã Epistolam potes viris cordatis in Collegio vestro ostẽdere. Benè vale. Prid. Cal. Martij. 1560.

Philippus.

75

S. D. Venerande vir, & carissime frater. Cum Paul. iubet ὀρθοτομεῖν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, certò

rè curã proprietatis & perſpicuitatis præ-
bit. Nec me exiſtimes ſine magno dolore
ante hoc tempus audiuiſſe, & nunc audi-
multorum ἀινιγολογίας & ænigmata
ua verè ſunt vt de Sphynge dicit Eurip.
νοσῶ ὠδαὶ, Quæro proprietatem & per-
picuitatem, & ſtudeo fugere ambigua. Sed
on ſemper reſpondet meo conatui euentus.
nterdum infirmitas ingenij cedit oneri: In-
rdum metu calumniarũ impedior: Deniq;
ulta impediunt omnes dicentes & ſcriben-
es, eos etiam qui ingenij, & eruditione ex-
ellunt. Scis de Pericle dici, ſolitum optare,
oties dicturus erat, ne quod ſibi verbum
xcideret, quod quenquam offendere poſſet:
Memini Durerum pictorem, qui dicebat ſe
doleſcentem in pingendo amaſſe monſtro-
ſas & inuſitatas figuras: Nunc ſenem in-
tueri naturam, & conari quantum omninò
poſſet eam proximè imitari, ſed experiendo
ſe cognoſcere, quàm difficile ſit non aberrare
à natura. Fit hoc etiam in dicendo. Sit au-
tẽ & modus diligentiæ. Nam & illud vetus
laudatur τὸ λίαν ἀκριβὲς λογομαχίας τίκτειν,
Quæſo vt reſcribas, an mea reſponſione tua
quæſtiones,

Ioannis Sturmii Prolegomena.

HOC EST PRAEFATIONES IN OPTIMOS QVOSQVE utriusque linguæ tum bonarum artium tum philosophiæ scriptores, quibus & alia quædam, & plerunque authorum laudes, & rerum quas tractat usus præstantiaque, aut etiam methodus indicantur.

ENVMERATIO SINGVLARVM Epistolam præliminarem sequitur.

TIGVRI APVD ANDREAM GESNERVM F. & Iacobum Gesnerum fratres.

GENERE, VIRTVTIBVS, ERVditione, generosis dominis: Christophoro & Ioanni fratribus, Comitibus ac dominis Frisiæ oriẽtalis: dominis suis omni obseruantia colendis, Micaëlus Toxites Rhætus laureatus Poëta S. D.

QVI ex remotis regionibus domum sunt reuersi, generosi Comites, tametsi non pretiosis sæpe amicos rebus ornant: tamen non exiguam officio tenui gratiam consequuntur. Neq; enim pretiũ rerum, sed donantis uoluntas, & locorum dignitas spectatur, unde res illæ adferuntur: quibus propter longinquitatem, qua à nobis absunt, quædam inest ueneratio. Idem ego mihi quoq; euenturum esse spero, qui ex multis professionibus meis hæc Ioannis Sturmij προλεγόμενα uobis adfero. Etsi enim illa neq; ex Asiæ, Affricæ úe extremis oris aduexi: tamen quia ex amœniss.

Musarum hortis flosculos hos decer
pſi, in quibus iam diu cum magna uo
luptate, tum etiam utilitate uersati e-
stis, spero uobis eos nō minus, quàm
gemmas aliquot Indicas, gratos fo-
re. Nam ut ego parentûm morem se-
quor, qui cum obliti sunt ex ijs lo-
cis, in quibus diu abfuerunt, aliquid
adportare secum, quo liberos exhi-
larent: domi ab institore proximo
empta, in ultimis terris empta esse
persuadent: ita uos etiam liberorum
consuetudinem immitantes, hoc, ut
spero, munusculum hilari à me ani-
mo recipietis. Id enim mihi non tan-
tum ea, quæ in Sturmij nostri ædi-
bus inter nos orta est, amicitia: ue-
rumetiam Christophori ornatiss. Ol-
denburgi comitis, patrui uestri fami-
liaritas, quam mihi propter Musa-
rum studia iampridem secum esse uo
luit, non obscurè de uobis pollice-
tur. Tametsi enim ille scientia rei mi-
litaris

litaris, magnitudine animi, fœlicitate, & ſucceſſu rerum hactenus præcipue excelluiſſe uideatur: tamen & ſapientia diuinarum humanarumq; rerum, & amore ueræ pietatis, atque literarum ſingulari (quarum gratia ultro me diligere cœpit) à tenebris nomen ſuum uindicauit. Quod eò libentius hîc commemoro, ut & memoriam eius honorificè conſeruare, & beneficiorum non immemor eſſe uidear. Illius uos ueſtigia, ut cœpiſtis ingredi, etiam atque etiam nolite deſerere: ſed præſtantiſſ. fœminæ Annæ parentis ueſtræ dulciſsimæ uoluntati atque deſiderio ſatisfacite: quæ uos non doctrina ſolum literarum ornatos, ſed etiam pietate, & uirtute claros eſſe cupit. Cuius prudentiam, temperantiam, ac in ſincera religionis doctrina conſeruanda conſtantiam, quis non hoc periculoſo ſeculo admiretur? Macte igi-

tur uirtute ueſtra, nobiliſsimi Comites,& non tam magiſtris ueſtris, obſequimini : quàm patrui ac parentis, quibus ſalus fortunáque ueſtra ſummam adferre uoluptatem ſolet, expectationi reſpondete. Redeo ad munuſculum noſtrum, quod etiam Sturmij nomine gratum erit: cuius cóſuetudo propter ſuauiſsimos mores, uirtutes excellentes , ſummam humanitatem,doctrinam liberalem, uobis iucundiſsima hactenus fuit. Quod ſi meus erga Sturmium amor, ſi obſeruantia qua illum colo , me non fallunt:non exiguam uobis utilitatem τότῳ πολιγομένῳ promitto. Sunt.n.in illis multarũ artiũ,rerumq; optimarum inſignes loci:quarũ uſus nõ minori cum utilitate, quàm iudicio explicatur. Quod cũ uiderẽ, ſtatui illa unũ in libellũ collecta edere: ut haberẽt adoleſcentes hominisdoctiſsimi iudiciũ,ac ſententiã de ijs rebus

bus, quæ in hoc literarum ſtudio nõ niſi magna cum iactura negliguntur. Quare ſic ſtatuite, ornatiſſ. Comites, ſi quid unquam eſt à Sturmio ſcriptũ quod cultoribus literarũ profuerit, has etiam præfationes eſſe eiuſmodi. Quid enim de illa dicã, quæ Platonis Gorgiæ eſt præfixa, in qua & tota dia lecticorum collocandi ratio doctiſsimè demonſtratur, & uia ad intelligendos Platonis dialogos planiſsimè aperitur. Quid de illa ad Hieronymum Zanchum in Ariſtotelis libros Phyſicos? Quàm beati eſſent optimarum artium, atque ſtudiorum conuentus, ſi ij, qui ab alijs diſſentiunt, ea ſuauitate, ac uirtute cõtra alios iudicarent, qua ille contra Zanchum uirum optimum, & doctiſsimũ hominem, philoſophos præſtantiſſ. inter ſe confert? qua diſſenſione, quid quæſo ſuauius cõſentire poſſet? Magna fuit olim de imitando Cice-

rone inter Eraſmum & Longolium contentio, at quam ſincerè, amicè, & iucundè Sturmius noſter in ijs, quæ ad Iuliacenſium ducem præfatus eſt, ſuam de utroque ſententiam tulit? ut non tam conciliaſſe omni doctrinarum genere clariſsimos homines, quàm omnè de ea re in poſterum controuerſiam ſuſtuliſſe uideatur. Quid de uerborum ἀναλύσει, ac delectu, qui eloquentiæ eſt origo: de lectione Ciceronis, de Demoſthenis, atque AEſchinis diſcrimine, de dicendi artibus, de morum diſciplina, de hiſtoriæ utilitate, de quibus in multis harum præfationum locis meminit? Potuiſſem omnia prolixius oſtendere, niſi & Sturmij mihi autoritas, & ingenij mei tenuitas obſtaret. Suis enim ipſe uirtutibus ac doctrina eam apud omnes famam atque exiſtimationem ſibi comparauit, ut potius obſcuraſſe illius nomen

men uiderer, quàm librum hunc cómendasse, si prolixior in eius utilitate commemoranda essem. Illud tantum hoc in loco addam: me eum in his præfationibus ordinem sequi uoluisse, quem artes ipsæ mihi præscripserunt. Quamobrem ego mihi generosiss. comites, cum de uobis, tum de reliquo etiam studiosorum cœtu polliceor hanc meam in colligendis his præfationibus, quæ hinc inde in libris sparsæ ac neglectæ fuerunt, diligentiam gratam acceptamque futuram esse. Quod si consecutus ero, breui & epistolarum Sturmij librum, & alia eius scripta in tomos digesta, edam: ut habeant, quę legant ij, qui Sturmium nil scripsisse iniuria conqueruntur, cum ne ea quidem legerint, quæ hactenus ab illo fuerunt edita. Nunc Christum optimum maximum oro, ut spiritu suo perpetuo uobis adsit, uosq; contra

omnes fortunæ procellas in impe-
tuoso huius uitæ mari gubernare ue
lit: ut & ecclesiæ suæ, & patriæ uestræ,
& Musis lugentibus, uestra pietate,
uirtutibus, eruditione, opem,
præsidium, consolatio-
nem adferatis.

ELENCHVS ET ORDO Præfationum Io. Sturmij.

1. *In apparatum Latinæ linguæ ad Nobilem & ornatiſsimum virũ Henricum Vuitzlebium* pag. 1
2. *In Epiſtolas Ciceronis minores ad Iacobum Sturmium fratrem* 6
3. *In Græca ſcholia in Homerum ad græcæ linguæ ſtudioſos* 8
4. *In Gorg. Platonis ad nobilem & clariſsimum virum Iacobum Bonerum* 11
5. *In Partitiones Dialecticas ad Michaëlem & Bartholomæum Peteios pagina* 24
6. *In Dialectica Philippi Melancht. ad Gulielmum Sturmium* 34
7. *In tabulas Erythræi ad Valentinum Erythræum* 38
8. *In Partitiones oratorias ad Vuolfgangum Comitem Palatinum & Ducem Bauariæ &c.* 41

9. *In Hermogenem de formis orationum Ioſiæ Rihelij ad Ioan. Sturmium epiſtola.* 52
10. *In eundem Ioannis Sturmij ad Rihelium.* 53
11. *In AEſchinis et Demoſthenis orationes contrarias ad Iulium Epiſcopum Numburgenſem* pag. 57
12. *In librum Sturmij de periodis ad Elizabetam Henrici Octaui Angliæ Regis filiam* 64
13. *In librum Sturmij de amiſſa ratione dicendi ad Lodouicum Grempium.* 63
14. *In orationem Heresbachij de laudib⁹ græcarum literarum ad Gulielmum Iuliacenſium ducem* 70
15. *In Ariſtotelis Ethica* 106
16. *In catalogum Legum antiquarum Vdalrici Zasij, ad Maximilianum Bohemiæ Regem, Archiducem Auſtriæ &c.* 109
17. *In vitam Beati Rhenani ad Nicolaum epiſcopum epiſtola* 112

In

18. *In vitam Beati Rhenani ad Christophorum VVirtenbergensium ducem præfatio* 113
19. *In Euclidem ad Ioannem Mayerum typographi nomine præfatio* 121
20. *In Physica Aristotelis Hieronymi Zãchi ad lectorem* 123
21. *In Physica Aristotelis Ioan. Sturmij ad Hieronymum Zanchum* 126
22. *In M. T. C. Epistolas familiares ad Erasmum Episcopum Argentoratensem.* 142
23. *In M. T. C. Epistolas ad Atticum, ad VVolfgangũ Abbatem Campidunensem.* 155
24. *In libros Oratorios Ciceronis, ad Adamum Carolum Regium Consiliarium, pag.* 164
25. *In primum M. T. C. orationum volumen ad Gulielmum Ducem Iuliacensium.* 169
26. *In secundum. M. T. Ciceronis orationum volumen, ad Hermannum Ar-*

chiepiſcopum Colonienſem 185
27. *In tertium M. T. C. volumen ad Michaëlem VVertheimenſem* 194
28. *In libros M. T. Ciceronis de officijs ad Stanislaum Seuerini filium, & Andream Franciſcum filium, Boneris patruelibus Polonis* 201
29. *In primum M. T. C. volumen philoſophicum, ad Seuerinum Bonerum.* 208
30. *In ſecundum M. T. Ciceronis volumen philoſophicum, ad Ioannem Bonerum Seuerini filium* 211

* * * *

IN APPARATVM LATINAE LINGVAE.

AD NOBILEM ET ORNATISSIMVM VIRVM D. HENRICVM Vuizlebium, Ioannis Sturmij Præfatio.

SI VERBA RERVM *signa sunt: certè vt verũ certus ordo est: ita verborum quoque atq; sententiarũ necesse est aliquam esse viam rationemque disciplinabilem. Nunc verò magni extiterunt nominis Græci scriptores, qui in hac fuerunt sententia: vt Socrates, qui in Platonis Cratylo quamplurimorũ verborum originẽ indicat: & Aristoteles, qui in Dialecticis affirmat primùm rerum, deinde cogitationũ humanarũ, nunciũ sermonẽ esse: verbaque quasi mentis expressas imagines. res etiam ipsa ita esse comprobat, vt optimi autores sentiunt. Potest igitur vt rerum ita & verborum, quamuis infinita materia:*

tamen in orbem & ad disciplinam redijt: in eaq; alius quàm literarũ ordo institutus: vt vnà cũ verborũ cognitione humanus animus, per rerũ contemplationem queat cõmeare. Cum ex me Vuolfgangus Vuerterus hanc sententiã cognouisset: et ego prã me ferrẽ, hanc à me rationem animo agitari: atq; Idem in meis libris profiterer publicè: nõ defijt contra meas excusationes de laboribus & de sumptibus pugnare: antequam spem aliquam dedissem operis conficiendi. Et est mihi profectò difficile tali viro aliquid recusare: propter eius honorificam in me liberalitatem: & propter virtutem atq; doctrinam. Sed quoniam id opus animo solum complexus teneo: neq; vnius aut hominis est, aut anni: mitto ad te pro hoc tempore istos commentarios verborum: non à me, sed me non improbante factos: à quodã viro bono, et homine literato: qui se in præsenti nominari non vult. Mitto autem duabus de causis: primũ si fieri possit vt hoc paratu contentus: nihil Vuolfgangus à me requirat

quirat ſumptuoſius. neq; enim minus hoc librorum genus, hominẽ dialecticis rhetoricisq; præceptis exercitatũ adiuuare poteſt: quàm Romæ olim forenſis ſcriba, ciuem aliquem ex Vmbria aut ex Brutijs, ſi in illis locis, aut ex Græco Rhetore aut ſuæ linguæ homine præcepta eloquentiæ didiciſſet, ipſe parum latinus. neque minus iuuant oratorem huiuſmodi auxilia, quàm eundem Iureconſultorum haſtæ amentatæ: quibus orator melius quàm Iureconſultus, vnde accipit, poteſt vti. Hæc igitur vna cauſa eſt huius miſſionis: altera vt ſi hac acquieſcere nolit: tamen tantiſper quieſcat, dum ad me redeam & cogitem quantum promiſerim. & an inſtitui poſſit eiuſcemodi ratio: vt aliquis mediocri ingenio præditus, poſtquam Grammaticos audiuit, quod animo complectatur idem poſſit latinè pronunciare, purè, variè, copioſe, ornatè, vt ipſa res requirat. & illud ipſum inuenire non aliquo literarum ordine, ſed in rerum compage: vt quæ rerum inter ſe neceſſitudinem

coërceat, eadem ratio verba quoq; & sententiarum formulas qua ex verbis conficiuntur, naturali & perpetua quadam consecutione colligata teneat. Hanc rationẽ primum inuenire difficile est: deinde etiãsi inueniatur: dubium est, an satis multa verum indicia extent: plures enim res sunt quàm verborum nota. Postremò quoniam multa prolatinis barbara tradita sunt, & multa sordida & fœda, puris & elegantibus permista, & multa uetusta, usitatis meliora: quis huic immoderato modo, modum aliquem poterit præscribere? Veruntamen fieri posse puto: sed cum de me cogito, & de VVolfgango VVertero: sane solicitus sum quantum ego possim, & quantum ille desiderabit, si suscepero onus, quod mihi cupit imponere. Quamobrem si quiescere nolit, nisi barbarum Hectorem meis armis conficiat: his sese interea hastulis exerceat: dum Vulcanus sua adornet. Sed profectò opus est Thetide: non ad persuadendum, verùm ad iuuandum. Voluntatem enim quasi flãmam quandam

pam VVolfgangus in me excitauit, vt iam inculescat officina: sed scis in Achillis armis apud Homerũ, quantum sit pracioſi artificij: vt non ſolum forma requiratur, verũ etiam materia: de qua tametſi & VVolfgangus mecum egit, & quidem liberaliter: malim tamen alios aliquid ferre qui ferre poſſunt, quàm hũc quicquam pati. Sed dum delibero, & cotidianis cogitationibus formam vniuerſam eiuſq; ſingulas partes complector: mitto interea ad vos hoc volumen: quod & copiã uerborum atq; formularum ſuppeditat: et earum demonſtrat poteſtates, comiũctiones, diſcrimina, pugnas, varietates, idq; ex Ciceronе: qui prope ſolus omnia dare poteſt, quæ ad orationis ornatum perfectum ſunt neceſſaria. Tibi verò Henrice VVizlebi mitto, cum propter eam neceſſitudinem, quæ inter te veſtramq; familiam & VVerteros eſt: tum propter humanitatem, et conſtitutam inter nos hoſpitij reuerentiam: ad quod, quoniam me ita benignè vt memini, inuitaſti, quaſi ad penetrales

tuos focos assederim, ita hospitalitatem tuã perpetua memoria mihi colendã esse censeo.

IN EPISTOLAS CICERONIS Minores.

IOANNIS STVRMII AD IACOBUM Sturmium fratrem præfatio.

AVdiuisti sæpe, vt memini, ex me Iacobe frater, studiorũ nostrorum finem, rerum cognitionẽ, & orationis elegantiam esse debere. Rerum etiam doctrinam sine sapientia religionis minimum prodesse: & dicendi rationem absq; optimorum scriptorũ assidua lectione atq; artificiosa imitatione nõ comparari talem, qualem desyderamus. Itaq; sæpenumero dixi, si meministi ad religionem pueros excitandos esse, et proponẽdũ illis in scholis Ciceronẽ, quorũ altera mẽtem, alter linguã optimè possit informare. Sed habenda ratio est in educatione linguæ non solũ ætatũ, sed etiam virium et ingeniorũ.

Ab

Ab epistolis, principium rectè fumi potest, si deligantur quæ argumẽto faciles sunt, & sunt rerum non ignotarum: atq; huiusmodi verborum quæ in nostra manserunt consuetudine. Hanc rationem ego in hisce tribus libris conficiendis secutus sum, neq; artificiosissimè, neq; sapientissimè scriptas epistolas delegi, sed quæ à pueris intelligi possint, & haberent nostræ consuetudinis verba, et sermonis quotidiani sententias, earũq; formas, nobis quidem non vsitatas, sed tamen apertas, & elegantes & doctas. Hos ego ad te mitto, quo videas me in eadem adhuc esse sententia, in qua fui olim. Amabo te mi optatissime frater perge porrò in hoc literarũ curriculo progredi. Audio nihil de studijs tuis, absum procul, metuo ualde, cum cogito posse fieri, vt non meis optatis & patris expectationi satisfacias. Expecto literas tuas, vt intelligam tum quãtum profeceris, tum quantum de te possimus deinceps sperare. 3. Calend. Febru. Anno 1539.

IN GRAECA SCHOLIA in Homerum.

IOANNIS STVRMII AD Græcæ linguæ Studiosos præfatio.

HOmeri explicatores breues quidem sunt qui extant, & ad dignitatẽ tam admirandi scriptoris minimũ adferunt: sunt vtiles tamen maximopere, & id quod susceperunt, videntur efficere. Dum enim uerba singula interpretantur, sensus auteris, et si non simul exprimunt, tamen in locis permultis etiam reconditos ostendunt. Nunquam mihi commentariorum vastitas placuit, explicationes et partitiones breues & literatas magis soleo approbare. Habet etiã Homerus magnum interpretẽ Eustathiũ, qui nondum in vulgus prodijt, qui nisi prolixißimus esset, his quos habemus nullũ locum relinqueret: sed etiam si extaret, tamẽ propter breuitatem, etiam hi non solum vtiles, sed et necessarij debent uideri. Bipartita-

ta enim est cognoscendi ratio: vna singula perfectè inquirit, & rem non solum presentem intuetur, sed tum omnia vnde hæc ipsa demanauit, tum quæ ad eam pertinent, contemplatur: altera eo contenta est, vt quòd oculis subiectum est tantum intueri possit, neq; quæ nō apparent desiderat. Parui progressus in studijs fierent, si ad omnes Autores prior ratio adhiberetur. itaq; non nisi in necessarijs, & quæ ad imitandum proposita, quæue perpetuò in manibus habenda sunt, debet applicari. Posteriore pluribus in locis vtimur: & multiplicem doctrinā parit: magnis itineribus proficiscitur, & tametsi in diuersis regionibus videat, quæ in vna consequi poterat, tamen ipsa varietas, & amplitudo, & quasi peragratio atque lustratio, vt orbis, sic etiam scriptorum maximas vtilitates habet. Itaq; mihi non solū Laertes apud Homerum placet domi manens, & suis ciuibus vtiliter consulens, sed huius etiā filius Vlysses maiores laudes suæ πολυτροπίας est consecutus. Atque vt hic

in Calypſus antro diutius delituit, apud Cyclopas non diu eſt moratus, & tamen nonnihil conſecutus eſt: ita velim in nonnullis ſcriptoribus inhærere adoloſcentes, cæteros ita percurrere, vt memoria cognitarũ rerũ maneat, & acceſſiones ampliſſimæ fiant. Quamobrem quemadmodum ad magna itinera ciſijs ac diſpoſitis equis opus eſt, ſic etiam ad celeres lectiones breues explicationes ſunt neceſſarij. Ioachimus Camerarius in duos Iliados libros præclaram operam nauauit, atque vtinam tantum ad viuendum ſpacium ei Deꝰ largiatur, quantum ad perficiendum id opus homini literatiſſimo eſt neceſſarium. Sedet in hoc opere emendando egregia Iacobi Bedroti diligẽtia extitit, ſi cum Italicis exemplaribus, hi libri comparentur. Habet ſeculum noſtrũ præclara multa ingenia, ſi ſatis multi reperiantur qui rectè inuenta bene vterentur. Sic eſt ingenium hominis, vt quæ abſunt, his quæ in manibus ſunt meliora putet, eoq; negligat. Itaque libros de Rep. Ciceronis deſiderat, de offi-

cijs

eijs non cognoscit: expetit AEschinis & Demosthenis aduersarias Orationes latinas videre, Romæ natas eiusdem scriptoris non legit. Recte iudicare difficile non est homini sed non placet, quod rectum est sequi. Hæc eò scribo quo adolescẽtes bonitate seculi nostri fruantur, atq; credant quarum rerum inuentio laudabilis est, earum consecutionem non esse negligendam.

IN GORGIAM PLATONIS.

AD NOBILEM ET CLARISSIMUM uirum D. Iacobum Bonerum, Ioannis Sturmij præfatio.

EST apud Platonem Iacobe Bonere vir summe præclara de Deo Timæi sententia. Is enim à Socrate quidnã Deus esset rogato, quid quidẽ Deo nõ sit, inquit, video, quidnã verè sit, non intelligo. Senserat enim vir sapiens humanis vitijs tenebrisque obnubilatum corpus non esse, & non

esse nihil, nec esse nullum: demonstrare tamen quadam proprietate naturam eius non poterat. Consimile etiam ego aliquid de Platone dicere possum, quale ille de Deo, & quoties Socrates interrogat, acclamare soleo: illud non malè, imo benè atq; præclarè: cuiusmodi tamen illud sit, & vnde profectum, & quorsum diriuatur, raro possum animaduertere: atque idcirco qualis quantusque siue Plato siue Socrates disputator sit, non queo neque oratione exprimere, neque cogitatione complecti. Et cum omnia in hoc philosopho præclara: tamen sunt quidam apud illum sermones qui reliquis præstent: inter quos etiam est Gorgias: in quo tametsi Rhetores illi exagitentur: tamen eiusmodi est illa disceptatio, ut oratorem ea plurimum credam iuuari, ut Crassus sensit. Nã si benè dicere proprium oratoris est, nõ debet ignorare quæ sit dissertè dicendi ratio, sine qua nemo dicit benè, & quæ illis temporibus à Gorgia, & Polo, & Prodico, magnis hominibus cæteris in rebus fuit neglecta. Non enim

enim lene doctrinæ indicium est, quod apud Græcos idq; ætate ac seculo, quo eloquẽtia floruit propter dicendi rationẽ summos honores, præmiaq; sint consecuti: & Gorgiæ Leontino non inaurata sed aurea statua soli ex omnibus Delphis statuta sit, isque ei honos à Græcia habitus sit, quæ semper & ingenijs & doctrina maximè nobilis fuit. Sed quod apud Ciceronem Crassus ait, aut victum in eo sermone Gorgiam à Socrate non esse, neque sermonem illum Platonis verum esse: aut si est victus: eloquentiorem & disertiorem, & copiosiorem & meliorem oratorem, Socratem videlicet fuisse: victum non esse Gorgiam, non possum existimare, scelus enim id esse in philosopho: eruditiorem verò & eloquentiorem fuisse Socratem, omnino credo: propter rerum sapientiam, atque quotidianum exercitationem, & consensionem multorum scriptorum. Nisi quis fortasse dicat Platonis eã esse, quæ animaduertitur in Gorgiano sermone ingenij laudem. Sit sanè Platonis, ta-

men cum similia in Xenophontis commentarijs leguntur, habuit Socrates certè talẽ in differendo rationem atque vim, qualẽ in oratore nullo possumus annotare. Nã cum duo sint propositionũ genera, per quas Dialectici conclusiones suas interrogando, respondendoq; faciunt. Vnum necessarium: alterum accersitum: fitq; necessarium genus earum quæ proxime concludunt: accersitũ verò, quod vel inductionis, vel amplitudinis, vel perspicuitatis, vel occultationis gratia sæpenumero ad necessarias adiungitur: cum interrogat Socrates, & quasi ex insidijs eum cum quo disceptat circumuenit: in collocatione necessarium, aut à summis paulatim ad id quod in quæstione est descendit: aut ab imis sursum versus ad idem contendit: aut summa imaq; prudenter inter se miscet: aut ipsas conclusiones cum proprijs propositionibus coniungit: aut à propositionibus conglobatè separat: aut traijcit atque transponit: aut quod negari potest mutat coniugatis: aut dissimulat connexione contrario-

trariorum: aut similitudine ad conclusionem viam patefacit: aut sibi contrarius est, suaq; refellit: aut rem dubiam auctoritate antequam confirmata sit, probabilem reddit: aut aduersarium quasi negligit pugnamque & contentionem remittit: aut cõparatione contendit: aut consequens pro re proposita assumit: aut postremo loco assumit, quæ primo erant collocanda: aut contra, si cum quo disputat vel ostentator ingenij, vel importunus disputator sit, quandoque quo maximè vti cogitat in ipsa acie abscõdit, aut ornatu alieno obruit, alienaq; interponit. Non difficile est Bonere hæc ex arte cognoscere: obseruare difficilius est: sed arduum facere vt in suis sermonibus Socrates: qui eiusmodi in hac ratione artifex est, vt mihi uel hoc nomine permagnus Plato esse videatur, quod hæc ipsa quæ à Socrate audiuerat potuit annotare atq; intelligere. Quis hanc rationẽ oratorũ tenuit? Iã cũ ornatus amplitudoq; philosophicæ orationis in inducendo diuidendoq; posita maxi-

mè sit: necessaria enim philosophi considerant, reliqua relinquunt oratoribus: itaque sum Socrates inferiorum inductiones superiorumq; partitiones applicat, vt nusquam vel fastidiosa, vel inepta, vel nõ necessaria videatur oratio. Cum verò obscuritas rei propositæ lucem requirit: ita similitudines exemplaq; accommodat, vt dubium esse videatur, illustrare ne magis voluerit quàm confirmare id quod versatur in quæstione. ac quoniam conclusionibus ad eruditos vtimur: apud indoctos inductione: cum inscientiam Gorgiæ aut Polo obstare videt, quominus intelligant quid dicatur: ita inductione ad propositum conscendit: vt multarum rerum communem naturam, aut apto verbo si quid sit, complectatur: aut si desit, nouum significansq; facit. et simul ac quò vult peruenerit, contrarium postulet sibi ostendi, si fateri nolit. aut si antequam eo quò tendit, interpelletur, deprecetur depulsionem: aut ipsam depulsionem vel explicatione ambigui refellat: vel demonstratione falsi diluat:

luat: aut ante occupat, & sibi ipse respondet, & id agit, itaque incedit, vt postquam alter quod respondeat non habet, suo iure sibi assentiri postulet. In conclusionibus uerò nihil proponit interrogando, quod probabile non sit, ei cum quo disserit. & distinguit actione cõclusiones à propositionibus: nec interrogat ita vt contrarium non appareat sitque controuersia, nec in ijsdem oberrat, & ita incipit, vt neque nimis argumentosa difficilisque sit disceptatio: neque nimis cito perueniatur ad conclusionem, cũ res illustriorem explicationem requirit: itaque neque proxima & continentia, neq; remota nimiumque longinqua statuit: neq; disceptat de his quæ sunt manifesta: neq; de his contendit, neque per hæc aliquid efficit, quæ aut nimis obscura aut uerbis ambigua, aut definitione non explicata sunt antequam intelligantur. quò fit vt definitiones sæpenumero inuestiget, difficilia vel omittat, vel explanet idq; non tam suo arbitratu, quàm consensione respondentis.

Ipse autem cum respondet, ita causam tuetur, & ita confitetur, vt nihil suo vitio, uel contra naturam, vel contra opiniones efficiatur: qua in re videndum est, discere ne cupiat, an exercitationis causa aliquid faciat. quanquàm nullam exercitationem suscipiat, nisi doctrinæ gratia, tamen est et aliquando vt dialectici loquuntur πειρασικὸς, quamobrem considerandum est doceri ne aut periculum facere, an cum aduersario quod tertium est, velit agere. Et cum tria sint genera & disceptandi, & personarũ, tamen genus ipsum quæstionis præcipuè intuetur: et siue probabile illud sit, quod proponitur, siue improbabile, siue intermediũ, tamen ita concludi patitur orationem, vt per quæ aliquid efficiatur, ea probabiliora sint, quàm id est, quod erat ad disquirẽdum propositum. Et quanquam sæpe non vera proponantur, neque vera sint non rarò ex quibus conficitur conclusio, tamen, cũ probabiliora sunt, quàm quod probandum est, concedit, & tantis per argumentando per-

gere

gere alterum patitur, dum ad terminum venitur, & occasio datur vel reprehendendæ personæ, vel rationis conclusionisque refutandæ. Sæpe enim non contra rem sed contra personam agendum est: considerandumq; quid probabile vel omnibus uel meliori parti, vel pluribus, et quid singulis videatur. Sed cũ omne argumentum aut probabile sit aut inopinatum, aut intermedium: cum probabile, si ad rem propositam nõ pertinet, cõcedit erudite: si proprium quæstionis, ita concedit vt vel leue, vel idem cũ proposito esse significet. Cum verò non probabile est quod dicitur: si à proposito sit alienum, non repugnat, & liberaliter reprehendit. Si ad quæstionem spectet non negat quidem, tamen quàm leue sit refutando demõstrat. Intermedia quæ aliena sunt largitur securè: quæ cognata cum re ita fatetur vera esse, vt ad conclusionem non magnum momentum adferre videantur. ex his verò quæ re proposita magis dubia sunt aliquid effici non patitur. obscura explanat,

ambigua digerit atque distinguit, si prouideat: sin minus, excusat explicatq; se eruditè. in inductionibus singula quæ vera sunt confitetur libenter, contra vniuersum autẽ si uideatur, pugnat vehementer. Omniaque hæc ita diserte agit vt, quod vtile est & solet fieri domo meditata secum multumque exercitata adferre argumenta videatur, nõ autem subito inuenire. Quæstiones quæ vel viciatum animum indicant, aut sunt contra leges atq; consuetudinem, cũ tales sunt, vitat. Et cum omnis conclusio ex duabus propositionibus conficiatur, sæpe etiam plures applicentur, in his eas solum oppugnat quæ falsum efficiunt, cæteras dat non inuitus. & quoniã plerunq; mendacio, aliquando vicio aduersarij, aliquando ipsi argumẽtationi resistimus, aliquando etiam breuitate temporis nos excusamus: nihil horũ Socrates temerè vt quodcunq; faciat iustissima de causa fecisse videatur. Ac cum sæpe quod defenditur, tametsi verum sit, malè defenditur: ita semper disceptat vt nihil

differat

differat vicioſe. & cum peccatur ab aduerſario monſtrat vicium, morboque quaſi remedium applicat: ſi non ad quæſtionẽ pertineat, ſi non concluſum, ſi falſum, ſi improbabile, idque vel improbando vel addendo, vel auferendo vel commutando. Atq; hæc quidem in omni diſceptationũ genere, ſiue certarum affirmatarumque rerum ſit, ſiue probabilium, ſiue pugnantium, ſiue falſarũ: idque apertè atque perſpicuè, ut nihil, quod quidem neceſſarium ſit, in concluſione omittatur, vt nihil alienum ponatur, vt affirmata ſint, ſi non ſint certa, vt quæ non neceſſaria reiciantur. Vbiq; videt ſit ne concluſa argumentatio, aut ad quæſtionem pertineat, aut proprium ſit vtraque ratione effectum, aut id quod efficitur ſit ne ex veris concluſum. Ac cum vulgus hominum, dubia ſæpe dubijs probat, & inferiora per ſuperiora peraque atq; illa incognita ſtatuit, aut generale per partem aliquam affirmat, aut argumentatur diuidendo nulla concluſione, aut ex conſequentibus dubijs aliquid

affirmat: tum aut vitat hæc ipse, aut reprehendit in his cum quibus disputat: nihil pugnans dicit: sed ad pugnantes conclusiones ducit aduersariũ, vt vel idem affirmet negetq;, vel contraria concedat, vel in parte neget quod in toto concessit, aut contra: aut repugnantibus assentiatur, aut his quæ propè repugnant non resistat. Sũt hæc quidem Aristotelica præcepta Bonere fateor, sed tamen nisi ex doctoris sui Academia ista abstulisset Aristoteles, & annotasset in sermonib. Socraticis, qui à Platone diligentissimè atq; ornatissimè sunt conscripti, credo ego plus & inuestigando, & tractando oportuisset ipsum laborare. Sed fuit in Socrate admirabilis consuetudo atq; usus, et præclara natura, & iusignis rerum cognitarũ memoria, & quotidiana cognitio: quod eô ad te Iacobe Bonere scribere volui, quod te audiam in his artibus diu, multumq;, et magno cum fructu versatum esse, & instructũ esse uariarum rerum doctrina: quam quotidie amplificas dum ciuiles forensesq; et Regios

gins labores vitas, & ocium philosophorũ tibi comparas: quod genus hominum solet esse optimum: neq; minus Pomponij Attici quies quàm Ciceronis labor mihi laudabilis esse videtur. Nam tametsi hunc laudem & quidem maximè, tamen quoniam hanc amo, & ipsa nos ad res honestas ducit, puto etiam esse honorandam, atque eo magis quo maior res est quam cupit exornare: mens scilicet ipsa, animusq; sibi benè cõscius, et sapientia excultus. Itaq; rectè Drosciius meus facit: qui tuos nepotes hortatur, vt hac ætate tuum consilium sequantur, vt postea maiore cum gloria parentum iter ingredi, et ad remp. accedere possint. Sed tempus est vt iã Socratem ipsum audiamus: ad quem intelligendum hæc præfatus sum, non tibi, es enim tu Academicus atque peripateticus, sed ad te, vt tui nepotes vehementius ad hæc cognoscenda excitentur. quinto Calendas Aprilis, Anno XLI.

IN PARTITIONES STVRmij Dialecticas.

IOAN. STVRMII AD MIchaëlem & Bartholomęum Petreios præfatio.

DIfficili nos in re plenaq; faſtidio : ſed tamen vtili operor, & noſtro gymnaſio neceſſaria, per hoſce mẽſes verſati ſumus. Nam tametſi tractatio fortaſſis non ardua eſſe videatur, & habeat aliquid iucunditatis perceptio pulcherrimæ artis: tamen quoniam in re ſubtili, & à Græcis inuenta, & à veteribus latinis neq; exculta, neq; tradita, operã noſtram collocauimus: difficile mihi fuit rem obſcurã breuiter explanando illuſtrare: & moleſtum ad rationem conſuetudine loquendi fœdatam, aut pro bonis Græcorum, et vitioſis noſtrorum verba meliora comportare, aut ea nõ commutare, quæ literatorum aures offendant. Feci enim vtrunq;, & propter obſcuritatẽ præ-

praeceptionum verbis aliquando sum vsus significantioribus, aliquãdo magis Latinis: & multa vsurpaui, quæ latinius exprimi poterant, vt ne exacerbarem dialecticos, si nimiũ longè à scholarum more discederem, et vt paulatim pro barbaris latina, pro ineptis & obscuris idonea, & significantia in artem pulcherrimam utilissimamq;, irreperent. Et quanquam mihi neq; facile, neq; iucundum fuit, ob temporis angustias, et occupationum multitudinem in hac scriptione uersari: tamen ad vtilitates nostri gymnasij pertinere credidi, vt ad illa, quæ fuse atque subtiliter ab Aristotele tradita sunt, & à me explicãtur: quasi compendio quodam adolescentes deducerentur. vt ex inferioribus ordinibus ad publicas auscultationes progressi, nihil audiant quòd à puerili disciplina dissentiat. Scitis enim vos ita nostrum gymnasium distributum esse, vt certi expeditiq; sint progressus, & qui in locis inferioribus docent, eos quasi ministros esse superiorum. Itaq; quatuor libris constitui

Aristotelis præceptiones comprehendere, eorum duos iam emitto, alteros proximè. Ac tametsi scio incursurum in multorum reprehensionem hunc laborem meum: tamen quoniam hominibus doctissimis, acerrimoq; præditis iudicio non displicet, et ipse Aristotelis vestigijs rem ipsam secut⁹ sum, non defendam ego me, et patiar de rationibus meis à paucis, & à tempore iudicari. Non omisi etiam illa quæ de mixtis syllogismis Aristoteles tradidit: quæ doctrina plus subtilitatis continere in se nõnullis videtur, quàm habeat vtilitatis. Ego verò cõtrasta tuo: & hanc partem ad iudicandum necessariam & ad cognoscendum facilem esse existimo. Nam si magnum est, in differendo vera, & falsa, leuia & firma posse distinguere, etiam hæc qualiacunq; esse videantur, oportet didicisse. Sunt enim ad ponderandas argumentationes expositæ, vt qui leuiorib. vtetur, aut imperitiæ arguatur, aut condẽnetur desidiæ. vincat aũt & laudetur qui meliora delegerit. Etenim doctrina ipsa

nihil

nihil habet obscuritatis, nihil molestiæ. Nã si quæ est difficultas, ea hominũ uicio, nõ natura rei est accersita. Præcepta enim pauca sunt, et ad intelligendũ facilia, si fides habeatur Aristoteli. Sed coactus est præstantissimus Philosophus nõ solum artem tradere, sed singula etiam sua præcepta demõstrando comprobare, propter eos quos contradictũros prouidebat. Hæc vna causa est difficultatis. Theophrastus deinde atq; huius discipuli, quædam conati sunt reprehendere, quibus dum Aristotelici respondent, prolixitate perturbant ingenia. Quid dicam de nostrorum hominum commentarijs, qui dũ hanc doctrinam defendunt, quam non intelligunt, id consequuntur, ut ad disceptandum solum, & ad acuendos animos, & non ad vtendum inuenta esse videatur. Hinc omnis difficultatis opinio. Sed opus habet hæc facultas interprete, nulla enim ars facilè sine interprete cognosci potest: qui si bonus continget antequam ad defensionem artis descendat, præcepta tra-

det, eaq; exemplis explicabit & indicabit vsum: post autem ad propugnationem singulorum accedet, vbi percepisse discipuli videbuntur. quo tempore non tam erit illis difficilis labor in animaduertēdo, quàm iucundus in cognoscendo. Quanquam non mirum est, hanc partem vituperari à multis, cum non desint, qui in vniuersam disserendi vim contemnant. Delabuntur in hunc errorem non odio literarum, sed huius artis imperitia. Nā quòd non didicerint, de se ipsi fatentur: cum declarant vsum se eius ignorare. Sed volunt vt in mercatura, ita etiā in Dialectica statim homines ditescere, id quoniā non fit, quasi inutilis sit, abijciūt. Mercatores enim simul cum mercium & onerum commutatione, discedunt pecunioſi: Dialectici verò si nihil aliud habeant, quàm in arte sua didicerint, in foro, & hominū congressionibus solent obmutescere. Itaq; vtilitates exiguas huius rationis esse putant in conuiuijs, & sermonibus, propterea quòd in his neq; propositionum, neq; conclusionum,

nũ, neque vllius dialectici vocabuli ne quidem à literatis fit mentio. Quocirca credũt intra Dialecticorum pulueres huius artis terminos constitutos esse, eamq; in cœtum & consilium non educi. Quid hoc aliud est quàm delirare in literis, & tollere artium disciplinarumq; fines? Dicendi ratio vitupe rari eodẽ modo potest, propterea, quòd cũ suis præceptis non adferat simul rerũ cognitionẽ. At Aristot. in Rhetoricis scribit dis serẽdi dicendiq; uias δυνάμεις nõ ἐπιστήμας esse. Animi vim quasi instrumẽtum quoddam ad aliquam rem perficiẽdam δύναμιν vocat: doctrinam verò aliquarum rerum scientiam comprehensam ἐπιστήμην nominat, vi & facultate cuiusdam artis tanquã instrumento perceptam. Itaq; ad comparãdas tradendasq; cæteras artes ac disciplinas, inuenta Dialectica est, quæ in discendo utilis sit, & postquam aliqua didiceris, sit semper adhibenda, quotiescunque de ipsis sermo instituetur. Eloquentiæ quoq; præcepta, non magis Oratorem faciunt, quàm hæc

Philoſophum. Neque illa ipſa dicendi vis, cum vim ſuam explicat, de ſe loquitur, ſed de cæteris rebus diſſerit, quæ abſq; eloquentia non poſſunt copioſe neq; cum ornatu demonſtrari. Quamobrem eam vim hæ duæ artes habent, vt tametſi præceptiones in loquendo atq; dicendo non appareant imperitis, præſentes tamen ipſæ ſint, neque ſint in animo eius qui dicit ocioſæ nihilq; agentes: ſed id efficiunt, vt tametſi in conuiuijs & conuenticulis ciuium non nominentur hæ facultates, tamen in illis ipſis congreſſionibus amicorum, ambæ tacitè adhibeantur à literatis, neque ſinant aliquid vel leue, vel falſum, vel pugnans, vel indoctum atque impolitum exire, quod uituperari reprehẽdi ue poßit. Magna res eſt & profectò magna, quamplurima cognouiſſe, & de his ipſis ſubtiliter & ornatè & doctè diſſerere. Hoc nemo abſque loquendi dicendique ſapientia, eſt conſecutus. Sed quorſum hæc tam multa? Primùm vt illos commoneam qui ſimulatque Dialectica & Rhetorica

præ-

præcepta didicerunt, Philosophi & Oratores esse volunt. Deinde vt vos commoneã & ante cognitionem rerum & post earũ perceptionem vtilem differendi facultatem esse: quo videatis cum demum optimum fore in differendo magistrum, qui quàmplurima audierit, legerit, didicerit, & idem hanc rationem ad ea quæ cognouit, applicarit. Hac de causa Socrates Dialecticum θνρευτὴν esse vult & φιλόπονον, qui semper aliquid habeat, in quo industriam suam ponat exercere. Plurima iã quinque annis cognouistis. docuit vos Simon Grynæus uir eximia doctrina, & singulari iudicio. Audiuistis Lutetiæ Bartholomæum Latomum, hominem diu multumq; in his artibus versatum, & scriptorem purum, & elegantem, veterem amicum meum. Christophorus Schaubius præceptor vester, & homo modestissima literarum cognitione amabilis, tot tantaque vobis interpretatus est, & tanta fide & diligentia, & cura, & solicitudine in hac

institutione versatus est: vt mihi nullum dubium sit de pulcherrima doctrina, quàm paucis annis consequemini, si in hoc cursu manseritis. Sæpe enim ex me audiuistis, nihil in literis etiam mediocri naturæ difficilè esse si certa ratio obseruetur, et retineatur studiorũ constantia. Quamobrẽ pergite vt incepistis vobis summam felicitatem cõparare, & patri prudentißimo seni maximam adferre voluptatem. Habet ille vir multas, & insignes prudentiæ laudes, sed vna cæteras omnes, mea sententia, vincit, quòd tantis impensis, tantoq; studio vos fratresq; vestros curet erudiri. Videatur alijs magnum, claris parentibus ortum esse, administrasse Archiepiscopi Colonienſis singulari fide & continentia, & comitate res domesticas: publicas etiam suo consilio sæpenumero adiuuisse: fuisse charißimum omni nobilitati, & plurimorum maximorũq; virorum amicitijs floruisse, & patrimonium suum prudentißimè conseruasse, summaq; virtute, & sanctimonia amplificasse.

se, & patrimonium suũ prudentissimè conseruasse, summaque virtute, & sanctimonia amplificasse. atque ita amplificasse, vt dedisse quàmplurimis beneficia multa magnaque & à paucis accepisse videatur. sunt quidem ista magna, quis negat? sed illa singularis prudentiæ laus est, elaborare diligẽtissimè, vt ne secum suæ gentis atque familiæ gloria moriatur: vt liberos relinquat, dignos patris non solum hæreditate, sed etiam honoribus. Hæc vos etiam atque etiam cogitare oportet, quo ex Gallia pulcherrimam doctrinam reportetis, iurisprudentiam virtute, & literarum elegantia ornatã. Ea enim natura est eius artis quam profitentur iurisconsulti, ut si nuda sit, nihil habeat quod sit iucundum. si verò literæ accedant, si animus virtute præditus & literis instructus adiungatur: ibi demum singularibus atque eximijs splendescat honoribus. Ad hanc artem præcepta dialectica vobis sunt adferenda, eoque magis quo minus est perfecta, & fœdissimis commenta-

rijs deformata. Lucem enim artibus differẽdi facultas adfert, nihilque patitur perturbatum, nihil ambiguum, & vbicunq; ipſa pedem ponit, ibi ſe nunquam vinci ſinit. pridie Idus Martij. Anno 1539.

IN DIALECTICA Philippi.

IOANNIS STVRMII AD Guilielmum Sturmium patrem præfatio.

QVoniam de fratrum meorum ſtudijs pater nihil certi cognoſco, neque exploratum habeo, ſint ne adhuc Louanij, mitto ad te Dialecticos hoſce libros, quos illi ætati iam idoneos eſſe exiſtimo. Nam ſi illa nunc memoria tenent, quæ à me aliquando audiuerunt, ſciunt verborum volubilitatem, & linguarum cognitionem inanem eſſe, ſine magnarum rerum doctrina, quæ niſi adſit, differendi ratio

non rectè percipitur. Ac quoniam illa præcepta exercitationem diligentem atque diuturnam requirunt, non differenda diu illa sunt, neque maius robur quàm naturæ est expectandum. Qua in re enim excellendum est, & cuius rei perpetuus vsus adhibetur, ad illam pue[illegible]atim sunt deducendi: Quæ causa est quod constanter apud Platonem ille Atheniensis affirmat: Λέγω δ' ἡ καὶ φημὶ τὸν ὀτιοῦν ἀγαθὸν ἄνδρα μέλλοντα ἔσεσθαι τοῦτο αὐτὸ ἐκ παίδων ἐνθυς μελετᾶν δεῖν, παίζοντά τε καὶ σπουδάζοντα ἅ τοῖς τοῦ πράγματος προσήκουσι. Quamobrem si illud faciendum est in illis doctrinis, quæ plus difficultatis habent, & qua in re præstare velimus, ad eandem statim animum adjiciamus: tenendum certè illud magis est in illa arte, quæ dux est, & præmonstratrix in cæterarum omnium disciplinarũ cognitione. Et quanquam nemo omnium melius scripsit, quàm idem hic qui primus absoluit, Aristoteles, isque solus legendus sit, tamen hi libri aptiores sunt: puerili educa-

tioni. Atque hoſce fratribus meis commendandos ſtatuo, quos malim ibi eſſe, vbi non linguam ſolum, ſed mentem etiam excolãt. Omnia verò ſtudia ſua ad Dei cognitionem referant, atque illud cogitent, veriſſimam eſſe in Theæteto Socratis ſententiam: τὴν μὴ τοῦ θεοῦ γνῶσιν σοφίαν εἶναι καὶ ἀρετὴν ἀληθινὴν, τὴν δὲ ἄγνοιαν, ἀμαθίαν καὶ κακίαν ἐναργῆ. Hoc Socrates non Chriſtianus intellexit, & cum nihil affirmaret, tamen illud certo tenuit. noſtris verò moribus permulti ſunt, qui ocioſe hanc ſapientiam contemnant. Sed ad hæc ſtudia, mi optatiſſime pater, fratres excitabis. Mittam etiam ad eos breui, quæ de amiſſa dicendi ratione ſcripſi, quæ quoniam à me ſæpe audiuerunt, abſque explicatore poterunt intelligere, adferent autem illa, vt ſpero, aliquas commoditates, & ad diſcendum, & ad iudicandum. Cal. Februarijs.

Anno 1538.

IN

IN DIALECTICA VVillichij.

IOANNIS STVRMII AD Carolum Miegum præfatio.

ELegantis est ingenij Carole in re obscura & implicata, quæ sentis, ea dilucidè atque expeditè oratione demonstrare. Id in Dialecticis ita consecutus est VVillichius, vt me mei, quem eadem in re suscepi, laboris tædeat. Aristotelica sunt, quæ præcipit, & è Rhetorum diuisionibus nonnulla sumpta, quædam etiam aliunde adhibita, quæ tametsi verbis Peripateticorum non sunt expressa, tamen reipsa ab his, quæ Aristoteles tradidit, non discrepant. Itaque cum hunc cognoueris, nihil propè apud cæteros inuenies, quod non antea didiceris. Quædam etiam hic explicantur, quæ ab alijs non sunt exposita. Hæc præcepta ita tibi commendo, vt si ad ea, quæ habes adiungas, multa tibi in differendi ratione sint futura

illustriora. Obsecro te mi Carole, vt, in quo vitæ genere te quotidie & tuos condiscipulos confirmare conamur, in eo pergas, neq; sinas naturæ tuæ bonitatem malorum consuetudine, & vulgi erroribus depravari: Hanc epistolam mei atque nostrorum omnium erga te voluntatis esse volo signũ. Quanquam non solum voluntatis, sed etiam testimonij, vt si quemadmodum cœpisti pergas, neq; te transuersis cõsilijs à proposito itinere auocare sines, sis magnus futurus patriæ ciuis. Hoc vt elabores te etiam atque etiam mi optatissimè Carole rogo. Idibus Februarij, anno M. D. XL.

IN TABVLAS ERYTHRAEI.

IOANNIS STVRMII AD Valentinum Erythræum Præfatio.

PEtis à me, mi Erythræe, vt tibi per me liceat mearum partitionum χιασμοὺς

μοὺς conficere: nam eos existimas & ad intelligendum, & ad recordandum aliquid adferre posse. Ego verò cum quia has vtilitates veras esse agnosco: tum etiam alijs adductus rationibus, non possum tuam ab honesto instituto reuocare industriam. Primùm enim, si ea, quæ in his explico, à me inuenta essent: causa esset, quamobrem refragari tibi deberem: ne nimium me amare viderer, nunc autem quoniam Aristotelis, Ciceronis, & Hermogenis doctrina est, quæ explicari quidem clarius potest: tradi verò perfectius nõ potest: hunc tu laborem nõ pro me, sed vt Aristotelis, aliorumque doctrinam, opem discentibus adferas, suscepisse te volo videri. Cui ego nihil aliud attuli, quàm nouam explicandi rationem: partiendo enim neminem scio tradidisse Dialecticen. Deinde, quia ipse in docendo, alia quædam adduxi, quæ in his libris posita non sunt: patiar ea quoque abs te annotari, præsertim, cum etiam ipse additurus sis, quæ

ex Aristotele, & alijs scriptoribus adiungi possunt, et lucem, quemadmodum ex me audiuisti, adferant. His ego tribus persuasus rationibus, facio tibi potestatem agendi, quod constituisti: & alios adhortor, qui me hæc exponentem audiuerunt: vt cũ ijs, quæ audiuerunt, conferant. Sed ad meos hæc solum pertinet oratio, quos ego docui: non enim is sum, qui arbitrer Rhetoricen, ac Logicen absque meis disci commodè non posse. Scripserunt enim multi, & copiosius, & doctius de ijsdem, quàm ego. Idcirco tamen ipse etiam scripsi, tùm, quia noua, ut Græci loquuntur, methodo: tùm quia mea & facilius, & lucidius, quàm aliena possum explicare. Quarto Idus Augusti, Anno M. D. XLVII.

IN

IN PARTITIONES oratorias.

AD VVOLFGANGVM COmitem Palatinum & Ducem Bauariæ &c. Ioannis Sturmij præfatio.

FRancfordiæ proximè cum apud Philippum Melãchthonem cœnarem, veniſſet etiam eo M. Bucerus, & ſimul adeſſent Philippi familiares: priuſquam accubuiſſemus, in ſermonem quendam Philippus delapſus eſt, qui, tametſi ad paucos principes, qui in illo nominabantur, pertinere videbatur, nulli tamen in omni nobilitate poteſt eſſe ignoratus: nobis etiam ad quos minus pertinebat, magnam attulit voluptatem. Nulla enim in eo erat vituperatio, & plurimũ ad excitandum valebat, & nobis omnibus plenus videbatur comitatis, & doctrinæ. Ac tametſi tempus non ſit eius commemorandi: tamen quæ de Ioanne Friderico Saxoniæ duce dixit, ex illis nunc vnam ſenten-

tiam non possum non repetere. Dixit plura hunc Ducem legendo scribendoq; quotidie peragere, quàm & ipse et Hieronymus, vt opinor, Schurphus Iurisperitus. Est autem omnium opinio, hos duos in legendo cæteris, qui Vuitenbergæ sunt, labore anteire, tametsi pauci non diligentissimi sint in illo gymnasio. Lutherus enim non tam ætate quàm valetudine affecta est, vt si quantum velit et cupiat, tãtum conetur suscipere, nõ diuturnam huius lucis vsuram acciperet. Itaq; hi duo plura quàm cæteri perlegere dicũtur: et per mihi magnũ esse videretur, si cum altero solum, princeps eius gẽtis cõponeretur, vt vel Hieronymo par, vel propè similis diligẽtia Philippo esset: et mirabile esset ducẽ, quod nomen Regum appellationi proximũ in terris est, & Saxoniæ Ducẽ, tanta præditum industria, et studio cognoscendi. Nũc verò quid statuendum est, cum tanti viri diligentia duorum industriæ anteponatur, quorum alter diligẽtissimus, alter doctissimus, vterq; studiosissimus haberetur. Hæc

est

est illa φιλοπονία, de qua est in quodam ser mone de Republica apud Platonem, quam Socrates in egregia natura uult inesse. Quor sum igitur hæc VVolfgange Dux, et ad quẽ tã longa pertinet oratio? Ad te scilicet maximè, & ad tui ordinis homines, proxime verò ad illos, qui doctrina instructi videri volunt. Nã vos, quibus Christi populus cõmissus est, si summam vultis laudem in administratione tanta consequi, videre diligentissimè debetis, quibus rebus cæteri floreant, ne illis, quibus aliy florent, videamini destituti. Literatis etiam diligenter prouidẽdum est, vt ne in hac literarum profession, quàm arrogant, à vobis superentur. Respicere enim sese mutuò debent, & qui magistratus habẽt, et qui horum in potestatibus atq; imperijs uersantur: et cũ omnes hoc facere debeãt, tamen principes in rebus publicis plurima circũspicere, et in omnẽ partem oculos cõijcere oportet, quo cognoscãt, quæ se maximè deceat peragere. Nam ut summi oratores, non solũ sui generis scriptores le-

gunt, sed etiam Poëtas cognoscunt & Philosophiæ non sunt ignari: sic etiam reges, & populorum duces, non solum quid præclarũ sit in suo genere oportet considerare, neque tantum videre quid aut Persarum Rex, aut Alexander Magnus, aut Romulus egerit, & quomodo regnũ administrarit, verùm quid apud Rom. etiam consules, & quid Athenis Solon, Pericles, Trasybulus, & apud Lacedæmonios Lycurgus, cæteriq; clarissi. duces gesserit, & quales fuisse dicantur, decet obseruare. Oratores etiam qui se Demosthenis similes esse volunt, hi & Demosthenem maximè legunt, & huic adiungũt in nonnullis AEschinem, neque Lysiam in multis locis reijciunt. Poëtæ verò non adeo aut Homero & Hesiodo, aut Ennio & Virg. delectantur, vt non turpe existimarint, multa ignorare, quæ ab his omissa, & ab Ouidio & Catullo, & Lucretio, aut à Theocrito & Euripide, & Pindaro sunt tractata: Similis ratio regibus & ducibus proposita est, vt non solum superiora, sed infe-

inferiora etiam, neque vnum aliquem sui loci virum, sed multos intueantur. Habent nostra tempora præclara exempla, & ad vitandum, & ad imitandum. Verè mihi princeps duxq; in gerenda Repub. futurus videare, si diligentiã Saxoniæ Ducis in cognoscendo, & Cattorum principis in agendo industriam, & vtriusque clementiam, prudentiam, religionem consequare: & his omnibus adiungas doctrinam literarum cũ orationis elegantia. Hæc enim sunt, quæ maximè decẽt genus tuum, vt quoniam ingenium excellens, & fortunam amplam tibi Deus dedit, animum diligentia excites, & virtute, & literis, & eloquentia ornes, et populum tuum clementia concilies, prudentia munias, & tuearis religione. Nullũ regnum absque hac perpetuum, nullum præclarum absque literis, quæ duo cum in Rege sunt, tum demum necesse est bene beateque populum viuere. Fœdum igitur Turcarum Tyrãnis, in qua literarum elegantia locum nullum inuenit, & quoniam inimica est ve

ræ religionis, aliquando eſt interitura. Ergo hæc duo Vuolfgange dux, tibi ad ſempiternam laudem, atq; fœlicitatẽ ſunt proponenda: quæ tu quidem conſequere certè, ingenij bonitate et magiſtri excellentia, et æqualiũ cõtentione, et digni atq; exẽplorum. Nam ex multis tibi Caſparꝰ Glaſerus cõtigit, doctor atq; præceptor, cui noſtri homines tantũ tribuũt doctrinæ et ſanctimoniæ, vt hũc inter non multos dignum exiſtiment, cui nobilitas atq; puerilis indoles in diſciplinam tradatur. Habes etiã condiſcipulũ cũ cæteris Comitem Stolbergũ, ætate æqualem et ſtudiorũ tuorum æmulũ, cui honeſtum erit eſſe diligẽtia parẽ, honorificum, doctrina aliquãdo videri maiorẽ, aut nõ inferiorem. Magna enim nõnullis ſpes affulſit, hunc, qua eſt ingenij bonitate, atq; diligentia, ad rerũ præclaram cognitionem peruenire, & eandem ornare atq; illuſtrare poſſe. Horum alterũ tibi natura egregium dedit ingenium ſingulare in percipiendo, alterum ſpem noſtram non fallet, ardor in perſequendo: quo fiet, ut quo-

quoniã in hoc curriculum fœliciter ingreſſus es, reliquus curſus vſque ad finem laudabilis tibi, ſalutaris populo tuo, vtilis religioni, omnibusque iucundus exiſtat. Ad hanc arcem gloriæ te multorum huius temporis principum in gubernandis populis virtutes adhortantur. Magnam laudem defendenda religionis doctrina Saxoniæ Duces ſunt conſecuti: magnam etiam tum hac, tum in difficilimis negocijs induſtria, & æquitatis propugnatione. Iuliacenſium Dux eiuſcemodi filium nobis reliquit, vt ſi illi expectationi ſatisfecerit, quam de ipſo propter eximiam virtutis ſignificationem habemus, omni laudum genere exemplo eſſe poſſit. Hos tibi, & eos qui aliquid egregium habent, propones, quo in hac vita tibi ante oculos verſentur, quos admireris & quorum te ſimilem eſſe velis. Sed hoc memorabile eſt, & omnino imitandum, quod de Ioanne Friderico Saxoniæ duce ante propoſitum eſt, tanto ſtudio cognoſcendi inflammatum eſſe, vt duorum ſtu-

diosissimorum hominum industriam superet. De Francisco etiam Galliarum Rege sæpenumero audiui, memoria tenere quicquid insigne in historijs extet. Ac est profectò pulcherrima laus clarissimorum virorum, quæ cognitione rerum præclarè gestarum est ornata, et statim ab initio nobilitas religione, & historijs, & orationis elegantia debet informari. Nam si veterum Romanorum & Athenienſium Respub. et leges, & instituta didicisse laudabile est, quo magis Hebræorum, & Christi: & si homini priuato vtile est munitũ esse ratione dicendi, quo magis honestum Regi, atque illi qui est cũ magistratu. Vt enim optima vestis, sic etiã oratio ornatissima magistratũ decet. Quid enim iucundius populo esse potest, quàm ex sanctissimi principis mente pulcherrima profluens oratio? Quid vehementius, quàm in eodem ab elegantia linguæ animus ipse non dissentiens? Quemadmodum poëtæ fingunt, cythara excitari ad quoduis carmen ab Apolline Musas: Sic natura

tura comparatum est, vt quocunque vox principis vocet, eò populus ipse sequatur, et tum maximè cum munita est religione & eloquentia. Ad hoc studium VVolfgange Dux quoniam iam olim suscepisti, te nõ adhortor, sed constitui confirmare, & adesse consilio aliquo modo meo. Ex literis enim tuis, quas mihi doctor noster Hedio ostendit, intelligo naturam te idoneam ad dicendi rationem habere, & sentio præclarissimæ rei fundamenta iacta esse. Ac quoniam post grãmaticorum præcepta proximè dicendi pronunciandiq; subtilior ratio sequitur, inde ego principium faciens, statui partitiones Ciceronis explicare, tibiq; mittere, quò videas quid potissimum considerãdum sit in dicendo. Omnia mihi complexus videbitur, qui quæ ab Aristotele tribus libris, & à Cicerone tribus dialogis de oratore, et quæ ab Hermogene de dicendi generib. sunt tradita, tenuerit. Sed his rectè liber de oratore cõiungitur, propterea quod in illo quasi sub oculos dicendi præstantissima forma

sit subiecta, Herẽniana præcepta, quæ primo & postremo libro explicata sunt, nõ excludo è scholis, sunt enim utilia, et aperta et docta. Qui hæc consequutus fuerit, huic nihil præter exercitationem & cognitionem rerum deest. Sed quia humanum ingenium multitudine, & uarietate perturbari solet, retinẽdus est hic liber de partitionibus oratorum in gymnasijs Rhetorum, quo breuiter omnia ea, quæ ab Aristotele, & Cicerone, & Hermogene exposita sunt, cõprehenduntur. Sed est cum omnis partiẽdi uia, tum præcipuè in illis artibus, quæ à Græcis primùm inuentæ sunt, sine interprete plerũque difficilis, & obscura ad intelligendum: itaque explicatoris ego officium suscepi, & indicaui fontes, ex quibus præceptiones latinæ defluxerunt. hoc enim necessarium esse duxi propterea, quòd tũ demum illas rectè intelligi posse putem, cum vnde demanauerint cognoscitur. Poterant ista melius explanari, fateor id, & me interpretis officium suscepisse dico, non præstitisse: & facilè

pa-

patiar alium aliquem melius, & doctius eadem interpretari. Satis ego multum assequar VVolfgange Dux illustrissime, si alij excitentur ad huiuscemodi obseruationem, vt perfectiora tandem edant, & si te currentem in hoc cursu aliquo modo adiuuero, quo aliquando dicendi vim consequaris talem, qua quantum didiceris, & quantum Deus tibi largitus sit, primùm tuis populoq; tuo, deinde omnibus hominibus declares. Hoc efficies, si quæ in cæteris excellunt, imiteris, & si literarum doctrinam & orationis copiam coniungas, vt non solum multæ cum alijs communes in te virtutes appareant, sed quædam etiam propria ornamenta existant, ob quæ dignus potestate atque imperio uideare. Me certè in hac perturbatione Ecclesiæ, & veteris disciplinæ deformitate, plurimũ recreat egregia quædã nobilitatis soboles: quæ si expectationem nostrã nõ fallet, futurũ spero, vt aliquãdo uetusta Ecclesiæ ornamenta restituantur. In hac propagatione, etiam tu numeraris Dux

Vuolfgange, & ſperamus neq; noſtras ſpes falſas, neq; Glaſeri labores vanos, neq; matris clariſſimæ mulieris, caſtiſſimæ viduæ, optimæq; matronæ vota nõ exaudiri. Precor Deum Chriſtumq; optimum maximũ, vt quod nos tibi, quod matri, quod populo tuo, quod nobis, quod omnibus hominibus optamus, id labenti Eccleſiæ largiatur, vt te quàm prudẽtiſſimum, & quam ſanctiſſimum principem aliquando cognoſcamus. Sexto Idus Martias, Anno M. D. XXXIX.

IN HERMOGENEM DE formis orationum.

IOSIAS RIHELIVS IOanni Sturmio S.

MItto tibi Hermogenis ideas, quas interpretaris & explicas: propediem etiam reliquos Hermogenis rhetoricos libros

bros diuulgabo: vt ne quid huius artis gym nasio nostro desit, neq; tibi desit quod doceas. Illud verò scire cupio: quid sit, quòd cum tria tradat dicendi genera Cicero, graue, intermedium, tenue: Hermogenes septem exponat: perfectiorés ne fuerint rhetorici libri Marci imperatoris ætate, quàm aut Demosthenis, aut Ciceronis fuerint? hoc si scirem, huic volumini præponerem: hoc est, si tuam de hac partitione cognoscerem sententiam. Istud ego ad te scribo, non tam postulans vt facias, mihiq́ue explanes, quàm scire desiderans, vt alij siue per me, siue per alium non ignorent.

IOAN. STVRMIVS.

Dicendi modos Crassus libro tertio de oratore tradit quatuor: purum, planum, ornatum, aptum: et puri quidem sermonis grammaticorum præcepta extant: à Romanis Latinus sermo dicitur: à Græcis hellenismos, qui Athenis atticismus diceba tur: Græciæ totius optimus linguæ modus.

Plana oratio ex ijſdem deriuatur Grammaticorum fontibus: adiuuatur tamẽ Dialecticorum atq; oratorum præceptionibus propoſitionum, diuiſionum, concluſionum argumentationis. Ornata verò oratio propria eſt rhetoris, & ornamenta complecti tur cùm verborum tum ſententiarum, de quibus elocutionis inuenta doctrina eſt: ſed hic ipſe ornatus niſi aptè ſit accommodatus vnà cum duobus primis, aut nihil aut perexiguum erit quod efficere poterit: itaque quartus eſt dicendi modus aptè dicendi. Aptitudo verò ipſo orationis æſtimatur habitu, qui eſt tribus comprehenſus dicendi generibus alijs: quæ etiam à Craſſo in tertio ſermone indicantur: tenui, graui, temperato. quæ cùm tria ſint, tamen ita tractantur variè: vt alius alio & ſubtilior ſit, & grauior, & temperatior: & ex alijs dicendi formis diſtinguuntur: quas Hermogenes monitus, ut mihi uidetur, non à Græcis ſolum, verumetiam Romanis, ſeptem adinuenit: quas & Platonis

ver-

verbo ἰδέας, & Aristotelis εἶδη nominat: de nominibus enim non laboramus, modò res intelligatur: cùm ipse etiam Cicero & dicendi vocet modos, & genera, & formas, & habitus. quemadmodũ etiam Græcorum quidam hæc ipsa videntur & τρόπους & σχήματα & χαρακτῆρας appellasse: verbis mutatis, ratione eadem retẽta. Hermogenis septem sunt istæ ἰδέαι, hoc est dicendi genera inferiora, tribus illis superioribus, quæ ad aptitudinẽ referuntur subiecta, apertũ, magnum, pulchrum, velox, moratum, verum, aptum, grauiter & conguẽter quæ vult efficiẽs: has ille uirtutes his nominat artis vocabulis: σαφήνειαν, μέγεθος, κάλλος, γοργότητα, ἦθος, ἀληθῆ, δεινότητα. ac postrema ista forma quæ in decoro consistit, etsi ex quatuor fuit primis una, tamen hic seorsim tractatur: vt etiam puritas prima fuit in primis: hîc etiam prima in inferioribus ponitur. alia enim est pura oratio, & apta oratio generatim considerata omnium scriptorum: alia oratoris pro-

prietate quadam seorsim circumscripta. Hanc varietatem arbitror etiam à veteribus animaduersam fuisse, qui Lysiæ subtilitatem tribuerunt, lenitatem Aeschini: acumen Hyperidi: vim Demosthenis. hæc enim Ciceronis est in his oratoribus quatuor distinctio. & tractam et contortam et fluentem orationem vocat: qui aliud considerauit quàm Græcorum Rhetorum γραφὴν, & aptum atque congruum dicendi genus, nón ne διανόησιν & præceptionibus continetur? & suauitatis apud eundem multa sunt præcepta, quæ in moratæ orationis partibus apud Hermogenem comprehenditur. nam hæc ipsa septem habent quasdam inter sese formas, quæ in minores atq; inferiores figuras secantur. vt mirum sit, hominum sermonem in tam uarias formas flexibilem esse. Sed tamen hæc ipsa flexibilitas ad paucas astringitur partes: ex quibus omnes orationis aut sermonis efficiuntur atque constituuntur siue modi, siue formæ, siue figuræ, siue habitudines. Octo enim ab Hermogene

numerantur, ſententiæ, tractandi modi, uerborum genera, verborum ornamenta, mẽbra, ſententiarum conſecutiones, clauſulæ, & ex his duabus numerus confectus oratorius. Atque hæc eſt huius voluminis materia: res inuentione difficilis, obſeruatione ſuauis, imitatione neceſſaria, vſu admirabilis. Anno M. D. LV.

IN AESCHINIS ET Demoſthenis orationes contrarias.

AD IVLIVM EPISCOPVM Numburgenſem: Ioannis Sturmij præfatio.

CREDO ego multorum mihi reprehenſionem expectandam eſſe: quod iſtud commentariolum patiar euulgari. primùm quia cuiuſuis ferè eſt, qualia iſta mea ſunt, annotare: deinde, quia audacis eſt ingenij, duorum ex Atticis optimorum ora-

torum conari, & consilia indicare, & ornatum, & vniuersam artē. Ergo quod coner temeritatis possum accusari: quod nihil efficiam, imbecillitatis et imperitiæ. Habēt hi confitentē me nō aduersariū sed reum, et scio facinus esse temerarium audere: & stultum atq; ridiculū nihil præstare: & propè nihil me præstitisse confiteor. Sed illis nihil præstiti à quibus me patior reprehendi, doctis hominibus, limato iudicio, multaq; lite rarū doctrina: verūtamen meis aliquid adferam qui illud à me postularunt: & meam in docendo rationē tenent: quibus tantisper profuturus sum dū ad eos uenient qui plus in hoc genere possunt, quàm ego: qui nō solū nō orator, sed ne magister quidē eius artis sum: neq; non modo nō magister: sed ne quidem discipulus eruditus: studiosus tamē et cupidus eius cum artis, tū etiā facultatis. Quāquam fateor si rursus ad has duas orationes stylū applicarem: posse me aliquid dare magis expressum: cuius vitij alia est reprehensio, festinationis scilicet: quod etiam confiteor; festinaui

ſtinaui enim: & tantum annotaui quotidie quantũ librarij operæ requirebant. Sed malo me uideri alijs, ſpectaſſe potiꝰ horũ duorũ oratorũ cõtentionẽ, quàm cũ ipſis eſſe cõgreſſum, et cũ vtroq; pugnaſſe ſeorſim: id quod factum eſſet: ſi aut vertiſſem meo arbitratu, vt Ciceronem feciſſe legimus: aut ſi illa ſumma conatus fuiſſẽ indicare, ſcilicet quæ cũ dici poterãt omiſſa ſint: quæ diſſimulata ſint cũ refutari uel poterãt propter ueritatẽ, vel non poterant propter multorum teſtimonia. cuius etiã generis ſunt: quæ ſunt adhibita quam vim ad credendum aut improbandũ habeant. deinde quæ ratio, quæ cauſa ſingulorum in collocando: et quamobrem prima poſtremis, & media vltimis antepoñatur. deinde illa maiora vter eorũ uerè non falſo: vter ſublimiter non tumidè: uter auda cter nõ improbè: vter plenè nõ nimiè: et cur unũquodq; ſuo loco. tũ illa longè difficillima vter eorũ laudabilius eodem in loco: qui nihil peccet: an qui peccat cum vtilitate cauſæ. poſtremò vbi vterq; humilis & depreſ-

ſus: vbi grandis & elatus: vbi medium teneat: quod ipſum etiam in vniuerſis difficile eſt obſeruare atque annotare: ſed difficilius quomodo inter ſe ſingula minutim differant atque conueniant, ſententijs, verbis, numero, eorumque omnium tractatione atq; varietate. Si hæc explicare & his multa alia maiora quaſi enumerare conatus eſſem, uiderer audax facinus ſuſcepiſſe & uerecundiæ exceſſiſſe terminos. Sed nõ feci: at ſi mihi ſtomachum boni aliqui fecerint: iraſcar vtiliter & conabor, quod iam facere pudore & temporis angustia ſum impeditus. Quãquam in his commentariolis infantiam meam amo: eoque tibi quaſi patri ita viro humano, verecundo, erudito, hoſpiti vt tu vis, ſed vt ego patrono meo mitto: vt ſi tibi mittere non ſum veritus: plus aliquid quàm inſit, tamen ineſſe videatur. Sed redeo ad ſe ſtinationem meã: cuius probabilis ratio reddi poteſt; non ea quæ ad librarium pertinet: quod genus vrgere & impellere ſolet: ſed quæ noſtrorum eſt temporum: vt oſtende-

rem

rem gymnasium nostrum & nostras quotidianas scholas neque intermissas esse temporibus communibus ut uulgò creditur: neque remissas ullo eorum qui docent fastidio. Et quanquam magno metu perculsi sumus, propter tempora & calumnias multorum & aliquorum inuidiam: tamen spes etiam est si meliorem Deus Ecclesiarum emendationem reuocari vult: etiam literarum scholas esse permansuras. quibus ego nisi hoc genere literarum & dicendi præceptis atque exercitatione prodesse non possum: cui studio opus adhuc est magnis adiumentis. Quid enim, vt inde à Francisco Petrarcha aut AEnea Syluio memoriam superiorum temporum repetamus, aut dictum aut scriptum est, quod illi simile sit vetustati, quam requirimus? cui tamen rationi interea neque libri defuerunt, neque magistri, neque eorum qui uellent & cuperent & elaborarent copia. Ergo desunt adhuc aliqua, sine quibus eam, quam volumus non assequemur: veterum oratorum atque scriptorum facultatem. Et

cum multa adhuc sint quæ desiderẽtur: tria ego potissimum requiro, quæ si nobis diuinitus per aliquos darentur: magna spes esset, eò quo cogitamus perueniendi. Deest enim nobis verborum copia, delectus atque facultas: deest docendi ratio: deest in rebus ueris & magnis dicendi vsus. Prius senescimus, quàm lingua nostra Romano sermone imbuta sit nedum exculta. In gymnasijs & scholis, quæ nunc veteri Platonicorum instituto Academiæ vocantur, quiuis docet, quocunque vult modo & ratione docet: si tamen in perturbatione & temeritate aut modus esse potest aut ratio. Vsus nullus est in foro & iudicijs, solum aut domi, aut in literarum ludis quædam est exercitatio: sed ea vel modica tempore, vel remissa contentione. Quæ igitur inquis horum incommodorum remedia? Primùm ego me scientia tenere puto. si dare possem per ociũ & facultates, vt non tot anni quemadmodum nunc consumerentur in verborum doctrina percipienda: tenerem etiam alterum,

in

in quo est docendi vetusta ratio: si concederetur locus mihi idoneus, & tertium remedium certum esset: si Ecclesiastica iudicia rectè instituerentur: in quibus grauissimæ sæpe sunt causæ hæreseon, diuortiorum, matrimoniorum, hæreditatum, cæterarum rerum: quæ & orationis ornatum, & bonorum oratorum contentiones atq; clamores requirerent. Sed de his aliâs cum voles & cum tibi placebit: nunc ad Aeschinem atque Demosthenem redeo: quos tibi vt ciues Atticos, notos tamen atq; familiares commendo: Nam si me tuo hospitio dignandum putasti cum istic essem: qui non ex Attica sed ex Iflia sum: nec Athenis natus, sed Solea: complecteris hos sanè arctius: quorum vterque cum inimici capitales extiterint: tamen alterius alter non contempsit Atticam eloquentiam. præsertim cum eos ego tibi reducam: cum quo tu hospitium etiam esse voluisti, cum homine Iflio. At nunc hos Athenienses duos verè Atticos oratores audies: & rursus iudicabis vter

eorum ciuis fuerit melior: & an vterq; calidus & astutus: & vter orator melior: de quo ego nihil fui ausus statuere: tametsi sciam quo delecter magis. tamen quoniam vterque delectat, & quidem vehementer: eodem tecto, eademque cœna, & thoro, & conclaui recipiendos esse ambos censeo. V. Cal. Decemb. Anno M. D. XLIX.

IN LIBRVM STVRMII De Periodis.

AD ELIZABETAM HENrici Octaui Angliæ Regis Filiam Ioannis Sturmij de Periodis, præfatio.

CVI dono lepidum nouum libellum? inquit Catullus, mollis poëta: verum tamen & verbis, & verborũ formis, poëta purus: & reuera lepidus poëta. Sed fuit illius carmen ea ætate, et adhuc nostro æuo

est

est, purum & lepidum: idque docto seculo, & doctis tum multis, atque eruditis vsque rerum, & disciplinarum doctrina hominibus. meus verò iste libellus, neque purus, neque lepidus est: & paucos inuenier viros contra reprehensores, qui se tueantur. Ingenium enim propè nullum, & ingenio exercitatio minor in eo apparet: aut si etiam appareret, tamen eius est argumenti & consuetudinis atque usus, qui minimè multis placet. Veruntamen agam fidenter: & donabo, & tibi Elizabeta illustrissimo exemplo virginalis industriæ, & claritudinis mitto: non quod meas tibi velim probare nugas, vt Cornelio Catullus: sed quod hæc etiam tibi oratorum & scriptorum in uerbis collocandis, & sententiarum membris instruendis scientia: non solum propter voluptatem aurium quam sensisti, probetur: sed etiam quod ratione tibi cognita sit & exercitatione comparata. Id ego & aliorũ relatu & ex Aschami ad me epistola intellexi: cui fidem habeo: cum quia erudite et

prudenter ſcripta fuit: tum quia M. Bucerum teſtem habuit, qui ſuo etiam teſtimonio, hanc ingenij tui laudem comprobauit. Scis ergo, tu, ſi verus uterque eſt, magnum & arduum eſſe numeroſum aliquid ita conſcribere, vt verbis aptum ſit & ſententijs congruũ, & rebus conueniens, quod poſteritas, nec inueniẽdo queat, nec augendo, nec immutando efficere præſtantius. Perfectum enim eſt, quod temporibus reddi melius non poteſt. Sed quot ſuperiores attulerunt ætates ſcriptorum genera? quantum etiam noſtra tempora habent gregem malè ſcribentium? in quibus non ſolum ſunt qui barbarè loqui volunt, ſed etiam qui ſibi volunt placere numerum & concinnitatem: & captant emblemata, ut Albutius Lucilianus, vermiculata, ſed temere conſuta, pauimento pluuerulento, nullo ſubacto fundamento, teſſerulis fractis & lexibus incompoſitis, vt eiuſdem Luciliani Scæuolæ uerbis vtar: quales etiam meæ ſunt lexis: meæque teſſerulæ & pauimenta. Non enim ſcribo hæc,

vt

vt quenquam vituperem : ſed quod doleam dicendi rationem talem eſſe, vt eam pauci aſſequantur. contra etiam delectet talem eſſe, tamque admirabilem, vt niſi à maximæ naturæ hominibus longa conſuetudine & perfecta ratione, neque retineri queat, neque comparari. Quo magis ego laudo Aſchami in inſtituendo conſilium : & tuam in intelligendo & aſſequendo induſtriam. neque dubium mihi eſt: quin vbi hæc induſtria eſt; ibi lateat egregia quædam indoles maximarum cogitationum. Itaque ego hunc librum nunc, tuo nitens, atque confidens patrocinio, iſtuc vobis mitto; qui eſt de periodis, & de comprehenſionibus oratorum: quam partem elocutionis fateor paruam eſſe præceptione: ſed exercitatione & vſu magnam, ſcribere ingente, ſi nõ uiderer mea amare: et σοφίζεσθ θρασονικῶς: vt apud Platonem Sophiſtæ faciunt. Quamobrem non placet in hoc loco; neque te laudare ut ne adulari; neq; hanc artem commendare, ne me meaque ama-

re ipſe videar; ſed placet hanc rationem omnem breuiter explicare: idque tibi, Elizabeta Principi uirgini. neq; enim magis quĕquam decet oratio ornata, quàm regios principesque ordines: neque conuenientius componi oratio pura, & elegans poteſt, quàm cum puella virginalis pudicitiæ & amabilium morum: neque eo mitto, vt te doceam maiora quàm docuerit Aſchamus: ſed vt ipſa iudices, conſentiant ne hæc cum tuis, et oratorum præceptionibus: ut ſi tibi placuiſſe videantur, cæteri propter autoritatem non improbent. Anno 1549.

IN LIBRVM STVRMII DE amiſſa dicendi ratione.

IOANNIS STVRMII AD Lodoicum Grempium, præfatio.

SCRIPSI Froſſio ante annos quinq; librum de amiſſa dicendi ratione: quem iam

iam recognitum tibi mitto Ludouice Grempi: vt etiam si liber eundem patronum non habeat: tamen habeat similem, & eum qui Froßio succedit: amicum meum, virum optimum, hominem doctißimum, Iureconsultum prudentißimum. Inuestigaui causas in huius libri confectione amissæ eloquentiæ: quas si inueni demonstraui homini intelligenti rationem etiam eandem recuperãdi. Si assecutus sum quod volui, benè est: sin minus, tamen me meorum laborum non pœnitet: quibus literarum studijs non obesse, et amicis gratum facere constitui. Hanc Epistolam tibi ad hesternum δ'εωας ὑάλινον adijcio: cuius memor eris quoties hæc legeris. quinto Idus Februarij.

M. D. XLIII.

IN ORATIONEM HERESbachij de laudibus græcarum literarum.

IOANNIS STVRMII AD Gulielmum Iuliacensium ducem, præfatio.

EST res Gulielme Princeps omnino optabilis: vnà cum natura secum adferre in hanc lucem; formam corporis bonamque valetudinem: & præclara res est: nobilissimum nasci: & inseri vetustissimis familijs. & hæc bona excellentiora fiunt: cum ingenij etiam acumen: & animi indoles à natura nascentibus adtribuitur. Sed etiam institui & educari, atq; erudiri benè laudabile est: sine quo naturæ uis sæpenumero, aut consopiri solet, aut debilitari, aut impediri; vt nihil egregium lucubret. Quamobrem corporis tui robur & forma vna cum vita occidet; & generis laus non tanta post se futura esset; nisi morum esset illustrata probitate & mentis acie; quas res duas in te & amamus omnes & admiramur.

mur. Sed hæc ipſa non tam latè vim ſuam explicaſſent; abſque domeſtica educatione & diſciplina; in qua conſtituenda maximopere patris tui optimi principis; & matris prudentiſſimæ fœminæ memorabilis extitit prouidentia; qui id elaborarunt, vt nihil oculi tui viderent: nihil aures haurirent; nihil animus cognoſceret; quod & à virtute magnorum virorum; à religione Chriſtianorum; à doctrina credulorum: ab omnium hominum honeſtate eſſet alienum. Itaque fœlicitatis tuæ pars eſſe non minima creditur ab eruditis hominibus; quod adoleſcentulus Conrado Heresbachio traditus in diſciplinam es; cui viro, & prudentiam tribuunt, & diligentiam, & fidem, & doctrinã, & religionem, & moderationem: quæ ſex virtutes cum in magiſtro ac præceptore inſunt; vbi natura bona erudienda concredita eſt à parentibus; nihil poteſt non ex ſe præclarum atque excellens gignere. Prudentiæ eſt; conſiderare quanta res ſit; habere in Prudentia magiſtri. 1.

ſua diſciplina principis viri filium, quem parentes hæredem ſuum velint: quem populus expetet vt optimè & ſalutariter, & moderatè, et ſcienter gubernet Remp. cum etiam ex priuatis familijs ſæpe oriatur, qui aut vtiles ſint, aut honorifici etiam ſalutares patriæ ciues: quanto magis hæc diſciplina principes familias decet? quib⁹ qui præſunt: quo magis authoritate, æſtimatione, honoribus pollent: eò etiam doctrina magis & virtute ac moribus cæteris debent hominibus prælucere. Ergo prudentis eſt magiſtri morumque præceptoris inprimis conſiderare: quantum munus ſuſceperit: & qualis de ſe ſit parentum, patriæ, bonorumque omnium expectatio: qualis etiam eruditorum. pertinet enim ad omnia literatorũ hominum collegia, Principes familias rectè beneq; inſtitui. ut ad Philoſophos Ariſtotelis educatio; qui ita Alexandrum enutriuit: vt comprobatum ſit, non ſolum Remp. curari à Philoſophis poſſe, ſed etiam magiſtratus, & Reip. principes, & reges inſtitui & eruditi

diri tales moribus & ſapientia: quales vita mortalium, & hominum ingenia naturæq; deſiderant. Itaque incertum eſt, vter ab altero plus ſit honoris per hominũ vitas conſecutus: Ariſtoteles qui inſtituit & expoliuit, an Alexander qui imperium à Philippo patre acceptum; ita geſſit ea quam ab Ariſtotele accepit ſcientia; vt omnis inuidia patris deſierit in filio, & quem principio Græcia ferre non potuit, is abſque inuidia, ita patris imperium amplificauit, vt omnium propè hominum fieret dominus, et glorioſum cognomentum inuenerit, & Alexander Magnus ſit appellatus: non imperio ſolum & fortuna: verùm etiam regnandi imperandiq; ſcientia. Non tantos labores talesq; ſuſcepiſſet curas Ariſtoteles: aut ob pecuniam aut propter famam, quas quidam Philoſophi ſpernunt omnino: Ariſtoteles nõ ſummo loco collocat: ſed quod ad doctoris prudentiam atq; officium arbitratus ſit pertinere, in primis conſtituere quanta res ſit diſciplina domeſtica, præſertim regum,

cum hi ad informandum & ad docendum non à parentibus modo; verùm etiam à populo committuntur: cum ipse etiam Aristoteles similem curam in Platone expertus sit; & de Socrate acceperit: quos discipulos habuerit: qua prudentia institutos: qui cũ priuati essent: tamen & vtilitates & laudem & gloriam patriæ propter doctrinam ampliarunt. Hæc igitur prima sit siue magistri siue doctoris siue præceptoris virtus: animo complecti magnitudinem rei, vt officium suum laudabiliter faciat; quod vbi statutum erit; non defutura est, quam secundariam requirimus, diligentia; sine qua nihil vnquam magnum atque præclarum effici potuit. Hæc Antonium, Crassum, Ciceronem, tales oratores dedit: quales fuisse eos & legimus & cognoscimus; hæc Vlyssem Mineruæ admirabilem reddidit; vt est apud Sophoclem:

ἀεὶ μὲν ὦ παῖ λαρτίου δέδορκά σε
πεῖραν τιν' ἐχρῶν ἁπᾶσαι θηρώμενον.

odo-

odoratur enim hæc quàm ſagaciſſime; & ſcrutatur omnes latebras, & quaſi venando omnium rerum inſequitur veſtigia, vt nihil reconditum à doctis, aut à natura abditum ſit, aut lateat alicubi temerè neglectum; quod non inquirat. Sed præceptoris diſtracta tres in partes eſt diligentia; quarum vna eſt ſita in recognitione earum rerum quas vnquam didicit: altera in earum intelligentia quas ignorat: tertia in conſultatione quomodo eas principi ſ[illegible] diſcipulo tradat; vt minimo cum labo[illegible], nulla cum moleſtia conſequatur, quæ ei ſint ad mores & prudentiam & doctrinam vitamque neceſſaria. Nam quæ noſtrorum fuit temporum infœlicitas; vel potius miſeria; quam multa nobis propoſita pueris fuerunt, quæ non erant neceſſaria? quàm inutilia? quàm mala? quàm barbara? quàm etiam nullo ordine? quàm nulla via & ratione? ſed tamen quia bona etiam quædam atque

præclara, & ab alijs accepimus, & ipſi nobis comparauimus. diligentiæ eſt ea conquirere & diſtinguere inter ſe natura, ordine, neceſsitate, vtilitate, modo, facilitate, vt apparatus noſter non ſolum copioſius ſit, verumetiam varius, digeſtus, explicatus. Idem retinendum in ijs eſt quæ deinceps diſcuntur: nam quia nobis non legimus ſed diſcipulis; guſtanda ſunt omnium ſcriptorum genera; vt quem cibum puerili ſtomacho ſalubrem ſentiemus, eum recondamus, vt ſuo tempore conditum beneque coctum porrigamus. quæ duo cum peracta erunt conſultatio ſequetur, quomodo porrigamus, & quæ nam & quo ordine: de quo præcipiendum pluribus. Sed in diligentia fides ineſſe debet, quæ vtilitate & progreſſu diſcentis cenſenda eſt. Sunt enim multi, ſibi non ſuis diligentes; quorundam etiam diligentia ad oſtentationem dirigitur, quæ fallax eſt; vtilem verò diligentiam requirimus. Ergo qui alios docet, vt ipſe diſcat; is ſuum, non alterius quærit commodum: & qui laudem

Fides magiſtri.

quærit

quærit ex memoria pueri, recitatione Latinorum & Græcorum versuum: is paucarũ horarum merces explicat, nullas facultates opesque reconditas voluit possideri. Quartum locum doctrinæ dedimus, & quintum religioni; cum tamen religio primas teneat, & doctrina proximas partes: sed fuit hoc ordine mea mihi exponenda sententia. Ergo prudens iste præceptor & diligens et fidus atque fidelis etiam instructus sit ab artibus & à multarum & variarum rerum doctrina. quæ literarum prudentia est atque scientia: diuersa multum à prima de qua primo loco dixi, quæ communis est, & artificibus in medio omnibus proposita: hæc verò prudentia eruditorum est hominum, sine qua primæ illæ tres virtutes in liberorũ educatione, nihil præstare possunt, nisi vulgare & plebeium: hæc vero singulare aliquid & politum atque admirabile solet in hominum ingenijs gignere. Sit ergo talis principis pueri magister, qualis Conradus Heresbachius fuit, vel potius qualis nunc est: per- Doctrina magistri. 4.

fecto literarum cursu: multarum rerum vsu: consummato iudicio: amabili grauitate: graui lenitate: vt doctrina non perfectione solum adepta esse videatur: sed morum etiã decentem elegantiam. Ridicula enim doctrina est in arrogantia, morositate, fastidio, leuitate. si tamen docti haberi possunt: in quibus huiusmodi sunt animi motiones. Quanquam sunt in omni genere magnorum hominum aliqui inepti. vt oratores Erucij, Curtij, Mamerci: poëtæ vt Marsi & Zoyli & Cherili: Senatores vt Valgulæ, Aselli, Mancij: imperatores etiam & duces vt Thersitæ, Glauci: in quibus non scelera uituperantur; sed ridentur ineptiæ. Fiunt tamen quædam amabiliter ineptè: vt de Scipione & Lælio legitur: animi eos relaxandi gratia conchas & vmbilicos ad Caietam & Laurentum legere solitos fuisse. De Archimede scientißimo Mathematico traditũ est cum inuenisset in balnei aquiminario rationem quantum probi auri furax artifex de massa abstulisset: nudum ex aqua domũ cucurrisse,

curriſſe, & inclamitaſſe Græco mathematicorũ verbo εὕρηκα. eiuſcemodi ineptias virorum ferre poſſumus: et habent aliquando vtilitates: vt mox oſtendemus: ſed faſtidioſos, opinatores, arrogantes, rixatores, moroſos, deniq; ineptos: nemo aſpicit: quin rideat propter ridiculum, aut doleat, cauſa literarum. Quamborem ſanã requirimus in magiſtro eruditionem: cum aliarum rerum multarum atque magnarum: tum in primis antiquitatis & ciuilis ſcientiæ: ſine qua raro boni poſſunt gubernatores & viri rerumpub. principes exiſtere. Doctrinæ & rerum ſcientiæ Plato ex Socratis ſententia tantam tribuit; vt reſpub. Philoſophis commiſerit: quod tamen minimè velim: fuerũt enim poſt Socratem nimis multi inepti Philoſophi. Ciuilem prudentiam antiquitas tanti fecit vt cum veriſimile eſſet: non eam tenere omnem Numam Pompiliũ: ei Aegeriam adiunxerint vt Vlyſſi Homerus Mineruam: à qua quotidie doceretur. De antiquitate et hiſtoria nullum dubium

est, quin omnium rerũpub. ciuilisque doctri
næ & vitæ exempla contineat. Vlysses pro
historijs quæ eo tempore non extabant: mul
tarum gẽtium mores in suis cognouit erro-
ribus: Qui mores hominum latè perspexit
& vrbes: vt est apud Horatium: eaque de
causa Homerus Nestori tres ætates dedit,
quæ multarum atque magnarum rerum sup
peditarent memoriam. Et vt fabulas relin-
quamus, nulla antiquior historia est, quàm
Moysis: nulla maiorem autoritatem habẽs:
Patriarchas vitæ longinquitas multa vti-
lia, necessaria præclara docuit: sed postquã
Deus humanæ vitæ propter scelera cursum
decurtauit, eique breuem terminum consti-
tuit: pro longitudine vitæ & diuturna ex-
perientia, historiæ dono genus humanũ vi-
uit, & Moysen dedit atque Prophetas, à
quibus multa simul mortales condiscerent.
Sed si est aliquod genus hominum, ad quod
potissimum antiquitatis memoria pertinet,
est id magistratuum & regum & princi-
pum in imperijs: quos ad talem curationem

nos

non ſolum voluntatem & ingenium ſed etiam ſcientiam atque memoriam exemplorum adferre decet: ad deliberandum, ad iudicandum, ad prouidendum, ad cauendum, ad omnia imperij munia. Hiſtorias igitur inprimis teneat omnium temporum, populorum, virorum is doctor, qui principum erudiet liberos: & illorũ hiſce præcipuè mentes imbuat: vt ubi adoleuerint & ad remp. acceſſerint in iuuenilibus eorũ animis prudentia vſuſque inhabitare ſenilis uideatur. Sed in his illud meminiſſe oportet, non eo à me hæc dici quo ſolas hiſtorias cõmendem: ſunt enim alia etiam multa præclara cognoſcenda: veruntamen hiſtorias cum primis diſcat adoleſcentulus: magiſter ſi fieri poſſit omnia ſciat: & ex omnibus optima delegat: quæ conueniant ætati & viribus; id quod ad docendi rationem pertinet: de qua poſt cum de moderatione dicetur: nunc de quinto agendum quod erat religionis; quæ Religio 5.
virtus vna, cæteras cõplectitur omnes atq; vniuerſas. ſimul ac enim religio alicuius

animum occupat; omnes ibi virtutes subitò vnà erumpere & effundi necesse est; adeò id clarum est; vt etiamsi Stoicorum dogma obscurum esset, tamen in religione intelligeretur: qui dixerunt, qui vnam virtutem haberent; eos omnes, non consequi, sed habere. Religionem hîc ego cum pietatem voco, tum etiam diuinitatis notitiam: quò fit vt hæc pars: appendicula partim sit doctrinæ; partim singularis quædam hominis virtus, ignem in homine inflammans diuini amoris. vt quale in oratore quidam requirunt vt sit vir bonus; tale ego in doctore flagitem vt sit religiosus: non singulari aliqua uitæ professione: sed communi omnium Christianorum officio; quod religionem in omnibus desiderat hominibus: vt Deum metuant, ament, venerentur, implorent, orent, precent: idque nulla falsa superstitione sed scienter. in diuinitatis enim inscientiā non potest vera esse religio; quæ causa est, quod talem præceptorem principi puero quæramus: ex cuius ore, tāquàm ex fonte salubres

atque

atque cœlestes vitæ aquas hauriat. Non enim religio solum sed etiam superstitio altissimis defigitur radicibus: & minus superstitio se doceri quàm religio patitur: quæ postquam radices nacta est, euelli ex animis hominum nō potest. Vt enim id crederemus verum esse: monstrosis nos exemplis multarum ætatum serie prædoceri nos Deus voluit. Itaq; non solum Solem & Lunā quādam nationes adorarunt; & homines benè aliqui de mortalibus meriti in Deos depositi sunt: & Dij nominibus efficti, vt Flora, Robigus, Lympha, Bonus Euentus; verùm pro Dijs etiam bestiæ habitæ sunt: idque ab Aegyptijs: quibus tamen ingenij acumen est propter regionis contemperationem, et qui sibi literarum, & artium inuentionem arrogant. & quis has illis temporibus errores & hanc monstrosam superstitionem, ex opinionibus eorum in quibus hærebant potuisset euellere. Sapientissimus habitus fuit totius Græciæ Socrates, & tamen in ijsdem fuit de Dijs erroribus: & suū De-

monium pro numine habuit. Doctiſſimus M. Varro celebratur; ecce quid precatur principio librorum ſuorum de agricultura: NEC NON ETIAM PRECOR LYMPHAM ET BONVM EVENTVM: quid hæc alia eſt quàm uerborum, non diuinitatis precatio? at qua ratione ducitur vt hos Deos eſſe credat: QVONIAM SINE AQVA, INQVIT, ARIDA ET MISERA AGRICVLTVRA. O Dialecticum: quia ſine aqua ariditas; idcircó ne Lymphã pro Deo coli oportet? QVIA SINE SVCCESSV, INQVIT, AC BONO EVENTV: FRVSTRATIO EST NON CVLTVRA: iſtud ne argumentari eſt, an deſipere? Aiaci boues pro hominibus flagellanti ignoſcere poſſunt: non poſſum veniam dare Varroni Lympham adoranti: viro in Repub. magno: multæ lectionis, ſcriptionis, experientiæ, vſus; qui cum videret AEgyptios in ſuo Crocodylo inſanire: ſe in Lympha ſua de-

delirare non ſenſit. Tantam vim habet in falſitate, educatio, conſuetudo, perſuaſio: ut oculatiſsimi cæcutiant: ſagaciſsimi non odorentur: acutiſsimi non intelligant: vt ſapientia eorum ſtultitia appareat in eaque pergant & moriantur, etiam moniti atq; reuocati. Quo magis ego Iudæis ignoſco: qui propter iſtos horribiles errores non patiuntur ſe à ſuo male intellecto Moyſe, & à reconditis ſibi Prophetis, & à ſuo mutilato Deo abſtrahi: etiam Mahometanis: qui potius ſimili in particula colenda Dei errare malunt: quàm multos & vanos Deos colere. At Numam Pompilium, quomodo laudare poſſumus? qui cum doctiſsimus & ſanctiſsimus, peritiſsimusque religionum à Romanis ſit habitus, Aegeriam ſuam finxit: & eam vanitatem populo ſuo commendauit. In hoc ſummo rege: nón ne ita fœda iſta inhæret macula: vt nobis videatur omnis eius ſorduiſſe religio? Et vt ad Iudæos meos redeam: quibus aliquam ſedem in ciuitatibus reliquiſſe videbor: quia emitatio-

ne vanæ diuinitatis falsíque cultus excuſo: nón ne ſenſibus omnibus diuinitus videntur eſſe priuati: cum in tanta prædictione calamitatum, & profligationis populi vniuerſi: cũ fateantur diutiſſimè his ſeſe malis vexari: tamen aperire oculos nõ poſſunt: ut lucem intueantur; veluti qui ephialtæ grauantur: qui ſentiunt malum: vnde autem accidat non poſſunt perſomnum intelligere. Tantam Iudæi ſuæ religioni fidem habent: vt ſi poſſent: & ſi potens aliquis fictuſq; & ſeditioſus Meſsias oriretur; nemini mortalium in omni religione parerent; et orbem terrarum ſibi creatum & conſtitutum putarẽt; cæteros mortales incendijs et cæde tollerent. vſq; adeò non ſolum vera religio grauis & ſancta eſt: ſed etiam falſa dura eſt: et moroſa & pertinax & crudelis. Quid enim de Turca dicemus? cuius exemplum nos vnum docere poteſt. neque bono euentu veritatem religionis probari; neq; diſciplinæ ſeueritate; neque ætatum progreſsionibus. Quid enim iam annis regnant? & religionem ſuam tuentur,

entur, & pro iure suo belligerant; quam cõ stanti totius populi fide et obseruatione erga Tyrannum cum qua cæremoniarum & institutorum, falsa quidem & ficta & nugatoria. attamen dura & rigida disciplina? quanto etiam & quali successu? In angulo orbis audacium hominum globus vnus coijt: qui iam in Africa regnat: qui Europæ partem maiorem occupat: qui Asiam totam in sua habet & ditione & potestate: qui à nostris etiam monarchis non Dominus sed MAGNVS DOMINVS in Legationibus appellatur, an mirum sit, hunc credere, diuinitus se in imperium maioribus suis successisse: & maioribus quasi in manus à Deo traditum esse omnium gentium imperium. ergo nulla mala conscientia quot ille nunc millia hominum tot annis vicit, vexauit, trucidauit, sustulit. Tanti refert principem benè institui: qui gladio non doctrina religionem suam vindicat: qualiscunque illa sit quæ est enutritus; vsque adeò necessarium est solicitè prouidere

ne quid falsi in religionem vel ætatum uitio vel hominum imperitia, vel fraude improborum irrepat: præsertim cum tot ætatum & populorum exemplis doceatur. Quid enim Athenis fuit præclarius: tum, cum floruit omnium disciplinarum doctrina: quid apud eos sanctius quàm conditores eius ciuitatis Neptunus & Minerua? quid magis his persuasum quàm hos deos esse? cum ficta solum sunt impiæ religionis vanaq; nomina. tantam habuit de hac istis opinio autoritatem: vt cum eorum sapientes mathematici atque Philosophi diligentissimè inquisiuerint quomodo circulus quadrari possit: non cogitarint, quomodo verum esse possit hos Deos esse: cum pro his vt pro patria pugnare deberent: circuli uerò quadratio etiam inuenta: non tantum attulisset ad fastigium philosophiæ quàm Architecturæ securis & dolabra, quibus rotundus & orbiculatus truncus facili labore quadratur. In quibus Athenienſibus illud etiam maximopere mirandum est: quod magis stulti fuerint

rint in ijs quæ se scire putabant: quàm in eo quod se ignorare fatebantur. Delubrum colebant Agnosti Dei, propterea quod notus non esset; idcirco eum hoc nominarunt nomine. si hunc etiam philosophi quæsiuissent; & inuenissent illum Iesum vocari, & cognominari Christum; aut si magistratus cogitassent quidnam esset; quod maiores sine vultu & figura, & cognomento delubrũ statuissent, clementiores fortasse in Socratis iudicio fuissent; qui quoniam suum Dæmonium sequebatur; accusatus fuit quod Deos nouos coleret; & de Dijs patrijs sentiret malè. Quo ego magis nostrorum temporum & nostræ religionis ignosco magistratibus, qui in religione sua defendenda sunt seueri. nam si vi religionem retinere oportet; & si potuerunt id facere Romani in suo Ioue Capitolino & in Romulo indigite: si Athenæ in Minerua: si AEgyptij in fele & crocodylo: cur non similis seueritas sit retinenda in Christianorũ religione; quam non solum anni mille quingenti stabiliue-

runt; argumenta & rationes confirmant: miracula demonſtrarunt; ſed quam antecedentia etiam patriarcharum, & prænunciationes prophetarum tot anteactis ſeculis comprobarunt. Ignoſco quidem iſtis magiſtratibus; verum cum gemitu et lachrymis; & optatione mentis iudicijque melioris. Si ſatis eſt ſeueram eſſe religionem; fuit ſeueriſſima Imperatorum Romanorum; numeroſam, fuit numeroſiſſima Ægyptiorum: honorificam; quid honorificētius Romæ quàm Deorum puluinaria vrbanaq; cæremoniæ; conſtantiam? quid conſtantius in ſua Religione Turcæ? Rege Tunetenſi? & hoc Numidarum Rege, qui cum Cæſare eſt? declarant copiæ cœleſtium martyrum; fuiſſe in falſis religionibus, reuerentiam, conſtantiā, ſeueritatem: à quibus animorum confirmationibus rapti martyres fuerūt ad ſupplicia; ſi eos, qui hos ſuſtulerunt, peccaſſe videm⁹: & tamen peccaſſe conſtanter, perſuaſos ſua religione; cur nos non paululum reſpiramus; & cogitamus poſſe fieri; ut noſtra ſa-

uitia

uitia Deo displiceat; aut vt iudices errent; aut vt Theologi, aut vt consuetudo; aut vt beatiores sint qui in supplicijs patiuntur; quàm qui condemnant? Illud etiam atq; etiam cogitandum magistratibus atq; principibus est, qui nã sint, qui reos ad flammas, & ad cruciatus ducant. nõ enim carnificis gladiº fulget qui ceruices ferit; sed principis; neq; carnificis manus est; quæ rogum incendit, et flãmam excitat; sed principis dextra. quemadmodum neq; iniquum iudicium ad lictores atque carnifices pertinet; sed ad magistratus; quibus si malè iudicent præstanda culpa est, in cœlesti iudicio. Quamobrem discat princeps puer ex hoc quem requirimus præceptore, veram religionem, quàm suo tuetur gladio; vt non solum regere suos; sed etiam iustè sanctèque regere possit. non enim ignorantia excusat magistratus; eadem enim Regem Numidarum; Persarum; Turcarum excusaret. non consuetudo, quæ Iudæos etiam fefellit; non temporum longinquitas; fuit enim Græcorum ve-

rustißima & Romanorum perantiqua religio. non equidem quod Christiana religio non certißima sit; sed non solum Christianã postulamus religionem sed eam flagitamus etiam puram, incorruptam. Vt enim religione nihil syncerius esse debet; ita etiam nihil facilius corrumpitur accessione superstitionis. Itaque bonorum & doctorum virorum est, contra impias cæremonias, et cõtra doctrinam falsam pugnare; & pro integra, pura, syncera, sana mortem oppetere & cruciatus contemnere. Non enim vt in Platonis & Aristotelis repub. leges aliquæ malè ferendæ & tolerandæ sunt; vt ne qua periculosa oriatur reipub. conuersio: ita in populo Christiano; cæremoniam irreligiosam; & precationem impiam; & opinionem contra Christi et Dei præcepta dissimulare oportet. in religione fidelem & in stum esse decet; etiamsi orbis collabatur. Ergo beatæ illæ vereque cœlestes animæ; quæ nostra ætate sanguinem suum effundi passæ sunt pro religionis puritate. & haud scio an mi-

minus fortiter passæ sint: quàm primi Ecclesiæ martyres. Nam hi ea formula iudicium hominum sustinuerunt: quoniam Christus filius Dei sit: & eiusdem cum patre diuinitatis sit particeps. hi verò quoniam corrupta sit doctrina, vitiatæ cæremoniæ: leges impiæ in Ecclesiam irrepserint: & hæc omnia censeant esse emendanda. vt his mentibus in hoc mortali corpore ne aliqua iniuria fiat principis Christiani est prouidere. itaq; benè instructum esse à puero oportet, præceptis doctrinæ Christianæ; vt iustitiam colat: religionem defendat: eam nõ patiatur maculari; quæ iam maculosissima est. Sed plura quàm mihi constituerat fuit de religione: veniamus ad partem postremam quæ fuit commoderatio: propria magistri virtus idque eruditi. hæc efficit vt quæ puer discere ea discat cum voluptate; hæc difficilib. adfert facilitatem; hæc docet omnia; hæc tollit fastidium; hæc matrũ solicitudines adimit; quæ in studijs liberorum solent ualetudinem aduersam metuere: aut ingenij grauationẽ

extimescere; aut disciplinæ duritiem timere: aut magistri morositatem vereri; deniq; hæc emenda: quicquid puerilis educatio habet in se molestiæ. Maximopere enim tenenda est Socratis libro secundo de repub. sententia: ψυχῆ δὲ βίαιον οὐδὲν ἐμμονὸν μάθημα. Verissima hæc est; eoque non interrogata est à Socrate: sed affirmata. non enim decet liberum ingenium, seruili disciplina illaqueari; corporis labores violenti aliquando esse possunt: animi exercitationes & liberæ esse volunt; & voluntariæ: quicquid enim inuitis & recusantibus imponitur humanis mentibus; id leui momento data occasione excutitur. Itaque Socratis in eodem Platonis loco vocem sequi oportet μὴ βίᾳ τοὺς παῖδας ἐν τοῖς μαθήμασιν, ἀλλὰ παίζοντας τρέφε. quæ vox si vera est: oportet præceptoris moderationem in duas partiri partes. quarum vna corporis est; altera animi. hoc est vna ludi; altera doctrinæ. vna iocosæ, altera seriæ voluptatis; vtraque tamen vtilis sanè voluptas: quam à puerilitæ & adole-

Disciplina læta.

Exercitationes iuuenles.

adoleſcentiæ diſciplina nunquam abeſſe uolumus. Neque enim ratione caret quod Græciæ nobiliſſimæ ciuitates huiuſmodi diſciplinæ Muſas atque Apollinem præſides eſſe voluerunt. Ergo & canere ſuis horis; & in venationibus intereſſe: & natationibus: & decurſionibus militaribus; & ſaltu ſe curſuq; exercitare non ſolum conceſſum verumetiã neceſſarium iudico. Quamobrem principis pueri magiſter in quo omnia iſta ſunt de quibus dictum eſt: pro ætate, pro viribus, pro tempore, pro voluntate, pro inſtituto vitæ omnia debet moderari. in venationibus ſpecies quædam militaris fortitudinis; natatio quoq; utilitates habet, vt de C. Iulio Cæſare literarũ monumenta docẽt: equeſtres decurſiones propriæ ſunt aularum exercitationes; ſaltus etiam curſusque adoleſcentiam inprimis decet; ſed in his moderatus præceptor prouidere debet, ne ſint immodicæ, ne intempeſtiuæ, ne periculoſæ; ne curſum ſtudiorum impediant, ſed iuuent; vt puer credat omnia iſta inſer-

uire virtuti & doctrinæ: ut sciat in Imperatoribus & ducibus semper eos gloria cæteris præstitisse: qui cum militari fortitudine ciuilem prudentiã, & doctrinam literarum coniunxissent: vt de Iulio Cæsare & Alexandro Macedonico aliýsque multis legitur: quæ exempla is præceptor rectè applicare poterit quem hîc delineamus. Permagni verò refert quos habeat princeps & in exercitationibus collusores; et in studýs cõdiscipulos: quos non ex ipsa solum nobilitate, sed ex toto etiam populo & ab exteris gentibus oportet conquirere. imò maximopere cauendum est: ne in hanc disciplinam, & studia, & ad hos iuueniles ludos accedant: quibus virtus et honestas, & doctrina amabilis atque præclara non videatur. hic campus non minus ab impudicis oculis amouendus est, & à contagionibus vitiosorum vindicandus: quàm apud poëtas Diana balneationes. vt hi ludi etiam ad virtutis cultum adiumenta adferant. atq; etiam ad literarum elegantiam. Habent enim omnia

nia hæc, cantiones, cursus, saltationes, venationes, decursiones, gladiationes, sua vocabula, suas sermonis formulas, sua in historijs exempla: quæ ex literarum schola in gymnasiũ corporis & ex gymnasio in schola deportabunt discipuli: si ea erit in magistro commoderatio quàm requirimus. oportet enim vt hæ exercitationes sibi mutuam opem suppeditent. & vtrinq; accipiant alterna subsidia. Sed mirum videbitur multis quod his rebus ego præcepta dem: qui ne cõcedere quidem eas deberem: quibus mihi reddenda ratio in hoc tempore nõ est: satis mihi est, quod intelligam & sciam hanc esse vetustam Persarum & Græcorum disciplinam; & quod etiam tempora nostra moresque nostri doceant, quoniam hæc consuetudo vel potius ratio sublata est: idcirco tã paucos esse in principibus, qui ad imperiorũ atque regnorum amplitudinẽ, doctrinæ maiestatem adiunxerint. Quæ enim alia est causa: quàm quod literarum cognitio difficilis & dura & insuauis, molestaque videatur;

& corporis exercitationes magis naturale: cum æquè sint utræque naturæ consentaneæ si modus teneatur, & coniungantur & à magistro tempestiuè & conuenienter. Sed quia nostris moribus puerorum ingenia vt à nutricibus per infantiam in cunis: ita hæc ætate libris alligantur: nullo ludorum atque exercitationum quasi magisterio: fastidiũt quod coguntur facere: appetũt à quo prohibentur. quò fit vt cum à præceptoris subsellijs, ad æquitationes deducuntur: aspernentur literas: nouos magistros ament: & in scholis tyrannidem: in stabulis libertatẽ esse existiment. quanto ergo vtilius esset atque cõducibile magis: hæc per ætatem puerilem discere: vt ante annũ decimũ sextum non solũ scholæ verùm etiam tyrocinij non sit ignarus adolescens. et non minus & venari, & natare & equitare benè & artificiosè possit: quàm illi ipsi qui his rebus sunt præfecti aulici magistri. Sed odiosa res est & laboriosa & ingrata, literas discere. annos ego iam triginta sex literas disco: uiginti tres easdem

eaſdem quas didici doceo: equidem videre non poſſum quid habeãt literæ moleſtiæ: moleſtiæ dico, quid non habeant inquam voluptatis: ſi à tali tradantur præceptore atque magiſtro qualem hîc eum eſſe volo: et qualem ego Conradum Heresbachium eſſe hoc præſertim tempore puto. Nam oratio quam de Græcorum lingua & literis olim Friburgi adoleſcens habuit: quam ego deinceps latere in bibliothecis paucorũ non ſum paſſus: quantum in ſe habet doctrinæ? qualem rerum, & quorum librorum cognitionem? quales ſignificationes vberrimi pictoris? quantum facundæ vt hoc verbo vtar, diſertæque & eruditæ linguæ documentum. Hãc adoleſcens habuit: quantum poſt, tot iam annis acceſſit doctrinæ, & vſus? Ergo qui talis erit præceptor qualis Doctor Heresbachius eſt: qui multa didicerit, legerit, viderit, vſu compererit: is quicquid difficultatis erit facilè poterit nõ imminuere ſed tollere: quicquid moleſtum, id emollire: quicquid obſcurum, id illuſtrare: diſtinguere etiam

poterit non ſolum mala à bonis, verùm etiam vtilia à neceſſarijs, poſtrema à primis. vt neue intelligentia pueri neue memoria grauetur. idq; omnibus temporibus & legendi, & intelligendi, & ſcribendi, et commentandi. Multa habent grammaticorum libri nimia: multa dialecticæ magis & philoſophiæ quàm ſuæ artis propria. et ipſæ dialecticarum atque rhetoricarum præceptiones facilius doctoris voce atq; iudicio tradi poſſunt, quã libris ſint explicatæ. iam diſciplina de moribus & ciuili ſcientia, et de legibus; & partes omnes philoſophiæ naturalis; item antiquitatis memoria et hiſtorici commentarij; quàm multa habent in quib⁹ non ſolum ordo & rerum expoſitio illuſtrari à magiſtro poterit? ſed etiam quàm multa præteriri, adimi, cõtrahi, coaceruari, redigi in locos artificioſos, coarctari anguſtis commentarijs, in tabulis artificioſe oculis diſcipuli opponi. vt de verborum confuſione taceam: quæ nullum adhuc coactorem & digeſtorem habuerunt, cum tamen & lexi

cá,

ca, & copiæ, & thesauri, & commentarij, & annotationes omnis generis vtraque in lingua extent. quorum omnium cognitio infinita, & memoria negata naturæ humanæ est: vt nihil sit neque in susceptione neq; in elaboratione huius studij, aut facilè aut iucundum, absque magistri huius quem propositum habemus ope & auxilio. Quàm fastidiosa res stylus est etiam eruditis rerũ cognitione nisi cum exacuerunt? at certissima ratio est adiuuandi adolescentis: vt & facilè scribat & libenter & cum voluptate. Commemorare verò in sermonibus, & cõuiuijs, hominumque congressionibus, quæ legeris, audieris, scripseris: adeò magnũ est, vt etiam eruditissimi facere id non queant absque pudore et metu reprehensionis: sunt tamen rationes, quibus qui munitus est, nullum neque grammaticum, neque poëticum neque rhetoricum uerebitur Aristarchum. Denique quia Deus in natura rerum nihil temerè, & confusè, & perturbatè constituit: sed omnia, suas causas, & ordinem, et

conuenientiam ſortita naturaliter ſunt: nihil ita fortuitum, et numeroſum & indigeſtum eſt: quod ab ingenio benè literato non poßit proprietate diſtingui, ſpecie continuari, generibus contrahi. quodcunque aut fieri poteſt, aut exiſtere; ſimul ac ſenſu percipitur, intelligentia poteſt comprehendi, & notione aliqua notari. & quæcunq; aut tẽporibus, aut rerum ſeriè, aut earum cognatione, aut ſimilitudine, aut conſecutione cõnexa ſunt, tametſi reconditam atque confuſam molem habeant, tamẽ ijſdem poſſunt & temporibus, & propagationibus, & propinquitatibus, & ſimilitudinibus atq; conſecutionibus diſpertiri, & doceri: idque modico diſcẽtiũ labore, minimo faſtidio, nulla moleſtia: ſi talem qualem volumus artifi cem nanciſcantur. Is ſiue artifex, ſiue magiſter, ſiue doctor, ſiue præceptor: aut quocunque eum placet nomine appellari: inuenire poterit cathenam illam Iouis de qua eſt apud Homerum: & intelligere quomodo illa compages cohæreat, ex qua cœlum, terra,

omnia

omnia elementa, omnes dij, omnes homines dependeant: & Iouis dextra nutuq; mouea tur. Est enim omnium rerum inter se perpetua cognationis cohærentia: & quia res perpetua continuatione copulatæ sunt, necesse est etiam verba quæ rerum sunt signa, omnesque sermonis atque orationis partes continenti connexione coalescere. id quomodo fiat, quod naturale est: & quomodo confici debeat, quod est artificiosum, tenebit hic noster principis doctor. Quanquam non omnia in doctore posita sunt: sunt etiam quæ ad magistrum adferre, eique adiungere oportet adiumenta: vt nec Galenus nec Hippocrates facile curare morbum possunt: nisi ægrotus etiam officium suum faciat: & custodes: cæteraque res adsint, quæ sunt ad sanandum necessariæ. Ita etiam puerum ad magistrum naturam atque ingenium & voluntatem adferre oportet. Quis enim non facilius ingeniosum quàm stupidum erudiat? aut quis doceat fatuum et stultum? Etiam parentum requiritur pruden-

tia, vt condiſcipuli boni deligantur: vt aulicæ impeditiones & noxæ remoueantur: vt magiſtri conſtituatur & confirmetur autoritas: vt omnia adſint quæ ſunt conducibilia. vbi hæc congruunt: non mihi vllum eſt dubium: quin ibi populus & optimum & ſapientiſſimum minimo cum labore, nullo cum faſtidio, nulla moleſtia puerilis ingenij, aliquando ſit habiturus principem. qui patrem non ſolum viuum, ſed etiam morientem conſolabitur: vt libentius è vita migret ætate acta: cum talem cogitabit ſe hæredem ſuo populo tradere: qualis à felice populo Princeps gubernator ſit exoptandus. Hæc ad te Gulielme Dux, quaſi præfari libuit: cum cogitarem Conradi Hereſbachij orationem diuulgare. vt tibi memoriam præceptoris & iuuenilis diſciplinæ renouarem; vt quaſi teſtem certiſſimum haberem de diligentia, et fide, et prudentia, et doctrina Heresbachij: vt etiam tu liberis tuis quos Deus daturus eſt, ante tẽpus præceptorem inuenias: vt cum tempus erit, in

prom-

promptu ſit cui imago matrisque & patris committi poßit: qui eã ab omni macula cuſtodiat. Prudentißimè loquitur apud Euripidem chorus Herculidarum.

οὐκ ἔστι τοῦδε παῖσι κάλλιον γέρας
ἢ πατρὸς ἐσθλοῦ κἀγαθοῦ πεφυκέναι
γαμεῖντ' ἀπ' ἐσθλῶν.

vtrunque tibi diuinitus datum eſt: vt & parentibus ſis procreatus illuſtrißimæ antiquißimæque vtrinque familiæ: & talem in matrimonio uxorem habeas: cuius parentes in hac nunc Chriſtianorum ætate nulli, nec genere, nec honoribus, nec fortuna, nec imperij maieſtate ſunt ſecundi. Filiolam Deus dedit: daturus etiam eſt filium; ſi is talem conſequetur præceptorem, qualem hîc indicauimus; ſiue id tua ſponte facias: ſiue exemplo Conradi Heresbachij: gratulabor vobis parẽtibus de felicitate: & gaudebo patriæ meæ de ſpe vicini principis: qui patri forma bonitateque ſimilis; aliquando felicitatem populi, prudentia ſua ſapientiaq; non patietur aut interturbari, aut minui.

IN ARISTOTELIS Ethica.

IOANNIS STVRMII præfatio.

CIVILIS ſcientiæ origo eſt, de moribus tradita diſciplina. Tum enim magnam felicitatis ſuæ partem, aſſecuta eſt Reſpub. cum ſinguli ciues, probi, & boni viri exiſtunt. Libri de his ſcripti ἠθικοὶ ſunt nominati. Græci enim ἦθος morem ingeumque hominis vocant, hominem etiam ἠθικὸν virum bonum, & benè moratum eſſe volunt. Cicero hanc partem philoſophiæ, in libro de fato moralem appellauit, ſecutus Græci vocabuli notationem. Perneceſſarij ſunt hi libri in ſcholis non ſolum ad agendum, in quo finis eſt huius doctrinæ: ſed etiam ad cognoſcendum, quod proprium eſt philoſophorum. Agere enim benè, cum bonis omnibus eſt commune: doctrina verò propria ſapientis eſt.

etiam

etiam ſi nemo ſapiens ſit, qui non bonus exiſtat. Sed dux actionum, prudentia eſt & doctrina: multique homines ſæpenumero ignoratione boni & mali peccant. Itaque quid agas, quid honeſtum turpeque ſit ſcire oportet. Amicorum literas inimicis recitare: ſi prudens quis faciat, ſcelus eſt: ſi imprudens, contra officium eſt, & negligentiæ vel ſtultitiæ crimen incurret: ſi inuitus, neceſſitas eſſe dicitur aut caſus: qui cum ſapientem fallit non laudari ſolet, ſed aut excuſari aut miſerabilis videri. Quare quicquid contra officium eſt, id aut peccatum eſt, aut ſcelus, aut caſus atque fortuna. Animus ergo doctrina informandus eſt, qua & voluntas ad res bonas excitatur, & intelligentia naſcitur, & prudentia comparatur: vt & velle res bonas, & intelligere ueras, & cõtra malas falſasq; ſe munire poſſit. Hæc præcipua eſt huius doctrinæ vtilitas: ſed eſt etiam alia quædam quæ non eſt diſciplinæ, verùm orationis, atque rationis. Pul-

cherrimè enim Aristoteles proposito fine hominis, qui est felicitas, reliqua inuestigat, quæ ad eum aliquid adferre posse videantur. Si enim quodcunque felicem fortunatumq; facit, id bonum est: propositis bonorum generibus inuenta est hominis felicitas, quæ sine animi bonis esse non potest, & corporis atque fortunæ augetur. Atque hæc ratio docendi vetustissima omniumque præstantissima, semper est habita. Cum verò argumentatur, ita sententias conclusionum connectit, vt si orator in foro faceret, nimium domi elaborasse videretur. In occupando ita aciem argumentorũ instruit, vt quod apud aduersarios sæpe adhibendum est, id ipse in his libris secutus sit τὸ κρυπτικὸν, insidiosum orationis genus, cuius præcepta libro octauo topicorum tradidit. Verba etiam ita adhibita sunt, vt natura omnia propriaque esse videantur, vt genus ipsum eloquendi, etiam oratori non sit negligendum. Nostro enim seculo, dum nimium ornati esse voluerunt: rem nullam propriis nominibus

bus nominant: & neceſsitatem natura meliorem eſſe putant.

IN CATALOGVM LEGVM antiquarum Vdalrici Zasij.

AD MAXIMILIANVM BOhemiæ Regem, Archiducem Auſtriæ &c. Ioannis Sturmij præfatio.

IN re quidem, Maximiliane Rex, magna: imperfecta tamen, ſed tui clientis: puto officiorum rationibus deberi: vt tui nominis authoritate gratiaque ad huius libri diuulgationem niti poſsimus. Quid enim maius quàm lex? & quid Regium magis, quàm in magnis rebus imperfecta perficere? & quid Principe dignius, quàm patrocinari clientelis? Qui libellum hunc confecit Ioannes Vlricus Zaſius Brigantinus fuit: in quo oppido matrem adhuc hiſce annis habuit: Bello Germanico proximo, cùm Caſa

ris partes secutus esset, bello inclinato & propè confecto, morbo afflictus Eslingam deportatus est, & in patris sepulchro conditus: qui ibi diem suum obierat, tum, cùm in eo loco Imperij Camerarium ius diceretur: vnusque fuit ex iudicum numero. Ergo Eslingæ filij corpus cũ patris cadauere coniunctum: habet quod mortalibus optabile esse solet: quicunque in huiusmodi cæremonia sensus sit animorum. Sed quoniam mentes ad cœlestia domicilia migrarunt: & corpora optatam obtinuerunt sepulturam; id quod ab vtraque filij parte profectum est: ingenij monumentum de antiquis legibus: tui nominis authoritati auspiciisque commendamus: quò non solùm pro se, verùm etiam pro matre & propinquis, qui Brigantij sunt, gratiam patrocinium̃que inueniat. quod profectò meretur. Etenim expressa in eo extant vestigia: naturæ præclaræ, ingenij copiosi, memoriæ amplæ, iudicij acuti, orationis latinæ cum ornatu puro. idque ea ætate, quam vltra vigesimum sextũ an-

annum productam non fuisse audio. Argumentum verò tractatione præclarum: cognitione magnificum est: & quò nihil præstantius, si antiquæ bonæ leges omnes sciri possint. Sed fuit industrij atque eruditi ingenij: tantum coaceruare, quantum ex Iureconsultis & Oratoribus & Historicis cognosci potuit. reliquum quod deest legibus: id Imperatorum est, Regumq; perficere. vt ne quid populis desit: ad otium atque honestatem. Sed quoniam tu inter Principes viros, Maximiliane Rex, nõ minimum locum occupas, honoris, gratiæ, existimationis, fauoris, expectationis, & quia Zasius Brigantinus fuit, commendo tibi memoriã mortui: monumẽtum defuncti: opus clientis tui. Commendo tibi verò alienum: interea dum ego etiam aliquid paro: quod meum sit: & quod ad tuos honores atque laudes accommodetur.

IN VITAM BEATI Rhenani.

IOANNES STVRMIVS
Nicolao Episcopio,
S. P.

SAPIDVS officio se gratitudinis liberauit & mihi impudentiæ onus imposuit, vt vitam Beati Rhenani conscriberem, neque sanè video qua ratione me contra reprehensores defendam, nisi amicitiæ officium me tueatur. Mitto tamen cuiusmodicunque sit, vobis diuulgandam, donec diligentius & ab amicis & ex libris eius cõquisitis sententijs factisque viri, meo iudicio magni, aliquid mittam vobis perfectius; placuit mihi affari Ducem VVirtenbergensem, quem propter probitatem & quasdam eximias virtutes, amo & obsecro: vestrũ est, vt omnia hæc emendate prodeant, meoque vobis potestatem facio, vt quæcunq; placebunt, ea aut addatis, aut immutetis,

aut

aut auferatis iudicio arbitratuque vestro. Vale Argentorati. xij. Calendas Martias, Anno Christi nati M. D. LI.

IOANNIS STVRMII AD Christophorum VVirtenbergensium ducem præfatio.

PRAECLARE de mortalium merentur rebus, qui Imperatorum et Regum Principumque virorum res fortiter et cum gloria gestas, ingenij & literarum monumentis, memoriæ posteritatis consecrare conantur. Cum enim omnis semper excellēs in societate humana virtus memorabilis extitit: tum bellica præcipuè, quæ absque animi altitudine non potest elucere. Sed ingenij etiam & doctrinæ & sapientiæ honores, suam quoque habent meritorum erga mortale genus illustrem famam: neq; enim excogitare, & consulere, & docere sapien

ter alios min⁹ quàm fortiter pugnare et bellicrare glorioſum eſt. Quãobrẽ etiã illi inhumanæ cõmendationis poſſeſſione ſunt, qui poëtarũ, et oratorũ, et philoſophorũ, & ſapientiũ virorũ vitas conſcripſerunt: neq; n. nulla videri debet laus apud Xenophontem in cõmentarijs dictorum & factorum Socratis: & illuſtris laus in altera vtraq; eiuſdem autoris de Perſarũ rege Cyro hyſtoria. Vtrunq; n. ſcilicet fortiſſimorum facta, & ſapientiſſimorum hominum conſilia cõgerere atq; conſcribere, veritatẽ incorrupta, diligentiam ſummã, doctrinam peculiarem, iudicium acutum atq; perfectum requirit. Nã vt de bello ſuperiore proximo Germanico dicã, quod à Carolo Cæſare recẽte memoria omniũ geſtũ eſt: quam multa cõtinet quæ ignorantur? Fui ego in aduerſarijs caſtris: multa uidi: multa audiui: uerſatus ſum, ut uerecundè loquar, cũ multis, ſentio tamẽ quot res & quales mihi deſint ad hiſtoricã veritatem, et ad operis confectionẽ, vt etiã ijs deeſſe ſentio, qui de hoc bello uel ſcribunt,

vel

vel loquuntur, vel iudicãt. Et tamen in iſtis caſtris facilius fuit Ducũ cõſilia animaduertere propter ſocietatẽ et multitudinẽ: quàm in alteris, vbi Cæſaris voluntate, & ſapientia nutuq; omnia gerebantur: cuius non ſolũ cogitationes ſemper occultæ ſunt: ſed etiã cõſilia recondita, & rationes inexplicabiles: qua in re inde à principio Imperij admirabili vſq; huc et propè diuina fuit præditus prudentia. & tamen iſtud bellũ neq; temporib. longũ, neq; rebus gerendis numeroſum fuit. quod ſi quis de rebus Germanicis uniuerſis, aut de Gallicis, aliiſq; ſcribere aliquid inſtituat: quod dignũ eſſet ſempiterna hominum memoria, quàm operoſe? quàm diligenter? quanta cura elaborandũ eſſet? Fatendũ ergo eſt mihi profectò, magnũ et arduũ eſſe Regũ populorumq; hiſtorias conficere. Sed eædem etiam virtutes in uitis requiruntur cæterorũ uirorũ qui aliquibus laudibus enituerũt, conſcribendis: quæ in hiſtoriarum contextu ſunt neceſſariæ. Nam vt ad exempla veniam, ſi quis inde ab ætate Laurentij Vallæ

vsque ad nostra tempora memoriam antiquitatis repetat: inueniet in hoc paruo seculo permultos præclaros doctrina viros extitisse: quorum si quis velit vitas explicare: sentiet longè plus in rerum conquisitione, quàm earum commemoratione laboris esse suscipiendum. Primùm enim multorum annorum vita est, & quæ dicuntur, quæ ue faciunt homines: ea in locis varijs, temporibusque diuersis, & apud homines inter se remotos agitant. Deinde multa vel propter pericula celantur, vel propter uerecundiam & ostentationis pudorem prodi non possunt: eoque simul cũ morte omnia auferuntur. Omnia ista quisque animo suo secum reputans, vera esse comperit, uel in hac tua præclarissima dignitate, vitaque agitatione Christophore Princeps: quam multa sunt vel cogitata sapienter, vel dissimulata prudenter, etiam consiliarijs incognita: quæ post te nullum habitura sunt neque enunciatorem neque scriptorem. Sed plerisque in rebus consimilis Dei hominumque imago est:

mul-

multo maxima pars diuinæ bonitatis, latet inuisa, inaudita, nulloq; sensu cognita. multa fieri diuinitus vident mortales: quibus uerò de causis fiant, ne sapientum quidẽ quisquam potest animaduertere. ita etiam à celsi animi fit hominibus: vt propter reliquorum aut stulticiam aut maliciam, multa animis occultata moliantur: multa suscipiãt atque perficiant: quibus verò id rationibus consequantur, non indicent. vnde fit vt sæpe humanum genus absque rationibus & laudet & admiretur. contra vituperet etiam atque despiciat nullo iudicio. Idem mihi in magna nostri seculi fama viro hac secunda Februarij mensis hebdomade accidit. nam cum rogatu amicorum Beati Rhenani vitã propositum mihi esset literis complecti: prius obseruantia, & reuerentia, & admiratione viri occupabar: quàm adiuuarer argumentis, aut rerum materia niterer. In viri enim tanta nominis celebritate: & in tali doctrina: & tam amabili grauitatis et modestiæ, vitaque & doctrinæ contempera-

tione: et in præsenti adhuc omniũ doctorum hominũ recordatione: nihil mihi defuturum putaui, aut ad ueritatẽ rerũ, aut grauitatem sententiarũ, aut orationis copiã. Sed uix op⁹ in manus assumpsi, cũ inter stylũ materia et incudulam euanesceret. & cũ hominem me in manibus versare putarem: sensi ex ijsdem quasi Dei vmbram effugisse subitò. Eius incommodi causæ sunt: primum priuatim exacta viri vita: deinde ingẽs quidẽ doctrina, sed modestia verecundiaq; magis occultata, quàm fastu aliquo aut ostentatione uenũdita. itaq; tantum annotaui, quantũ à me per triduũ cognosci à familiarib. potuit: placuit tamẽ id ipsum cuiusq; modi, sit illustrissimo tui nominis patrocinio cõmendare: nõ tamẽ absq; comitatu eorum librorum quos de rebus Germanicis ille uir scripsit, vt quod mihi decederet fidei propter rerũ ignorationẽ et ingenij imbecillitatem: id cumulatius horũ librorũ bonitate queat superare. Quãquam nõ eò istud scripsi quò exemplum sit formæ alicuius bonæ, sed vt incitamentũ, quo possit

sit quiuis aliquid dare præstantius: in eoque nomine tui autoritatē appellare: qua excitē tur exteri, aut etiam tui, præsertim Tubingēses, quorum nullus est, in ijs quos ego noui, qui maior nō sit, quàm ipse sim, artifex: vt Ioānes Sichardus, qui cum iuris scientia doctissimos nostri seculi Iurecōsultos possit æquiparare: et Leonar. Fuchsius, qui cū præstantissimis medicis nō cedere debeat: tamen vterq; historicus non solū doctrina est, uerùm etiā oratione esse potest & stylo. Deinde Iacobus Sceggius, non solū philosophus, verū etiā philosophus disertus & copiosus. Præteriera Melchiorē Volmarū, hominem quàmplurimis annis insignitè doctrinis linguisq; eruditū, et benignū hospitē meū cum Tubingæ essem: magnū virū naturæ bonitate, et eruditione eximiū. Hos ego et in historijs et in cæteris artibus atq; disciplinis ingenij gloria excellere scio; dignos sanè qui in Regū principūq; gymnasijs cōspiciātur. Quos ego in hoc illustrissimo auspicio tuæ Reipub. fidei tuæ commendo: ipsumque gymnasium.

quod ab Eberhardo patrueli proauo conſtitutum, & ab Vlrico patre renouatum et amplificatum, tua nititur prudentia, autoritate, bonitate, liberalitate, in hiſce miſerabilibus ingeniorum & literarum temporibus. Sed vt ad Beatum reuertar: eius etiam memoriam cõmendo, & hoſce tres de Germania libros, oratione pura, ſtylo acuto, iudicio ſubtili, doctrina ampla variaque compoſitos: vitam etiam eius innocentem, temperatam, verecundam, pacificam, & in perpetuo ocio ſemper laborioſam: & in laboribus tranquillam, & in tranquillitate ſolicitam de libertate paceque publica, cõtra Turcarum uim, contra omnem temporum iniuriam: quàm à te depellat Optimus Maximus IESVS CHRISTVS.

IOANNIS STVRMII AD Ioan. Mayerum typographi nomine præfatio.

LAborum & impensarum, quæ in rebus paruis suscipiuntur, scis esse multa genera. Sed vnum propriũ uiri studiosi est, & magna cum laude coniunctum, vt poëtarum libri qui de apibus extant, quòd genus non est aptum naturæ meæ. Alterum est à quo me domesticæ occupationes auocant quod voluptatis tantum & exercitationis causa proponitur: vt pila atque palestra, et venatio principum. Est etiam tertium quod tametsi facilè sit, & non multum adferat laboranti, tamen publicè communibus rationibus est vtile, à quo non abhorreo et soleo delectari. Quid enim facilius est quàm ab integro volumine resecare partem aliquam, et in lucem ædere. Res parua est, neque vllius aut ingenij aut industriæ. Sed in-

terim publicis rationibus est adiumento. Id iam pridem elaboro, & nunc Euclidis primũ librum separatim emitto, vt nostræ iuuentuti consulam, & quoad possem augeam numerum Mathematicorum. Video.n.multos non odio artis ad eam disciplinã non accedere, sed deterreri precio, magni et integri operis. Et quanquam inepta est hæc illorum excusatio, tamen duæ præcipuè causæ sunt huius editionis. Vna quod qui Dialecticos Aristotelis libros cognoscere uolũt, sine primi libri cognitione, assequi id non possunt, & quanquam cæterorum quoq; intelligentia adiungi debeat, tamẽ multi sunt qui statim de principio etiamsi vtilia sint, tamen nolunt omnia condiscere, deinde sæpe in eodem opere rectè fit intermissio, & aliquid ad docendum interponitur. Altera causa est vt necessarijs libris noua nostra disciplina non destituatur: Cuius instituti quoniam tu cupidissimus ac studiosissimus es, constitui σοὶ προσφωνῆψ, vt tuum quoque nomen aliquid adferat. Ego certè huius

schola

scholæ institutione, & augescente ingeniorum copia sic afficior, vt hi solent, qui amissam ablatamque hæreditatem recuperarunt. Perturbarunt enim literarum studia seditiosorum & fanaticorum hominum sectæ, & veteres nostri aduersarij, cum antea contaminarunt literas, tum etiam vt ne vetusta Ecclesiæ disciplina instituatur, maximopere obstant. Quorum vtrisque facilè resisti posset, si suum literis et ocium & dignitas redderetur.

ZANCHVS LECTORI S. D.

NE mireris obsecro te, candide lector, aut quòd cum prius Theologiam hîc quàm Phylosophiam sim professus, prius tamen προλεγόμενα hæc mea in Physicam passus sim imprimi, quàm aliquid Theologiæ in lucem dederim: aut quòd si volebã tamen hæc imprimi, non curarim vt accuratius elaborata, & limatius conscripta

in lucem prodirent. Quemadmodum enim nihil minus, cum Argentinam veni, cogitabam, quàm præter Theologiam, Philosophiam etiam Aristotelis profiteri: ita nihil minus, cum hanc meam haberem in schola præfationem, erat in animo, quàm eam etiã impressam foras in lucẽ dare: tum quòd me nõ latebat, nihil hoc tempore, quo plus nõnunquam æquo delicata sunt hominum ingenia, mittendum esse in lucem, nisi absolutißimum illud sit & politißimum, id quod certè non omnibus facilè est præstare: tum quòd optimè sciebam, si aliquid tamen lucubrationum mearum, qualescunq; illa essent, emittendum erat in publicum, ex Theologicis aliquid vt mea prior & principalis professio exigebat, prius præmittendum fuisse: atq; ita proculdubio animum meum induxeram facere. Sed quid agas cum tuus nõ sis? amicorum iussu onus suscepi interpretandi Aristotelis Physicen: eorũdem etiam officiosa importunitate tandem permisi, vt hæc mea in illum προλεγόμενα, eodem & or-

ordine & ſtylo, quo à me ferè ex tempore in ſchola habita fuerunt (neque enim mihi vacabat ea limatius polire) imprimerentur. huc acceſsit non exiguum animi mei debitum, quo non potui non gratificari hac in re VVend. Rihelio noſtro, qui cũ græcè impreſsiſſet Ariſtotelis Phyſicen in gratiam ſtudioſorum noſtrorum, neque eam vellet ſine aliqua etiam mea præfatione venũ exponere, me vrſit peramicè vt hanc quam in ſchola habueram, tranſcribi curarem quamprimum, ſibiq́ue imprimendam darẽ. Quando ergo in amicorum gratiam, ſicut Phyſicen interpretendam ſuſcepi, ita meæ in illum προλεγόμενα qualiacunque erant, imprimenda dedi, atque ſi quid hîc à nobis eſt peccatum, ne amicis non gratificarer eſt peccatum: ius amicitiæ exigit, ne tu, amice lector, nimis ſeuerus in me ſis iudex: ſed in eorundem ſaltem amicorũ impulſu hæc meæ inculta προλεγόμενα in publicũ dedi: tu eadem æqui boniq́ue conſulas: quæ ſi à doctis nõ improbari cognouerimus, fortaſſe etiam

commentarios, si Physicen interpretari per rexerim⁹, (quòd tamẽ malim à me doctiore aliquo fieri) suo tempore dabimus. nihil enim mihi antiquius et optatius quàm quibuscunq; in rebus possim, amicis aut prodesse, aut saltem gratificari. Argentinæ, Idibus Iulij. M. D. LIII.

IN ARISTOTELIS Physica.

IOANNIS STVRMII AD Hieronymum Zanchum præfatio.

QVAM tu culpam vereris Zanche: eam ego libenter præstabo: & hæc ad te scribens fateor, dico, atq; proclamo: me tibi autorem, suasorem, impulsorem fuisse: vt & Philosophiam explicares, & προλεγόμενα tua Physica ederes. Primùm enim tumet fateris ipse diuinitus datã mortalibus philosophiam, Deus etiã bestias antea & fruges Adamo et ostẽdit & nominauit:

nauit: quàm ſacrificandi rationem oſtende-
ret. nam & in his rebus intelligendis Dei
eſt profectò multa & magna cum admira
tio vt noſti, tum cultus. Quanquam docen-
di tu quidem principium à Theologia ſum-
pſiſti, Eſaiam interpretãs: etiam ſcribendi,
propè confectis tuis cõmunium locorũ com
mentarijs: in emittendo verò iſta in vulgus
antecurrãt, veluti euolans ex claſſe Noë co
lumba: quæ ſi tibi florentem nominis tui fa-
ma ramum reportarit: poteris tu cum tota
tua bibliotheca, & Theologico myrothe-
cio in lucẽ progredi. Hæc igitur cauſſa eſt,
quãobrẽ nihil eſſe culpæ uerendũ exiſtimaui
in iſtis diuulgandis. nũc verò quam ob cau
ſam te malui, quàm me Ariſtoteli tuo præ-
fari. Equidẽ occupatiſſimus ſum et ſcribẽdi
docendiq; laboribus et interpellationib. ami
corũ: et quotidianis gymnaſij noſtri officijs,
quib⁹ tãetſi tu etiã auocaris, tamẽ nõ peræq;
atq; ego. et æquũ eſt, noſtros inter nos labo-
res quos poſſumus partiri. Deinde ſciebã plu
ra te & meliora præfari potuiſſe, quàm ego

queam. & tuum magis fuit id facere, qui Aristotelem doces: quàm meum, qui tibi autor fui, vt id faceres: hoc est, vt doceres. Postremò non ita ego Aristotelem laudassem, vt eum Platoni anteponerem; satis mihi esset si illum cum Platone composuissem laudabiliter. Et vt ne Plato à scholis exulet ciuis profectò, opinionum veritate honestissimus, scriptorum monumentis clarissimus: scribam etiam ego meam de vtroque sententiam, non tam aduersans tuæ, quàm meam explicans: qua in re scio te offensum non iri, si tecum nostro more iocer. Contra Platonẽ dicitis: nullã ab eo artem esse traditam integrè. deinde quæ tradit nullo tradita esse illa ordine: tum quòd in plurimis sermonibus εἰρωνίᾳ adhibeat, ineptam ad docẽdum figuram. sic enim scribitis. Aristotelem verò duas res effecisse præclaras, nam & Dialecticam & Physicam et Ethicam integras illas artes scribendo complexus est. & in docendo methodum atq; sermonis proprietatem adhibuit: quæ res duæ in docendo lumen

men adferunt. His de caussis satius esse arbitramini Aristotelem in scholis, quàm Platonem explicari. Primùm malim equidem ita vos iudicasse: satius esse vtrunq; in scholis explicari continuè: quàm alterutrum ejici. Sed de hoc paulò post: nunc de vestra laudatione, in qua Aristoteli ego eadem, quæ vos attribuo: trium artium præclarissimarum doctrinam: orationis, naturæ, morum. viam etiam atque rationem cum verborum proprietate. & vt omnia vobis largiter concedam: ea quæ Peripateticis tribuuntur omnibus, ea ego omnia vni ascribo Aristoteli: omnem doctrinam liberalem, omnem historiam, omnem sermonem elegantem, omnem artium varietatem. aio ab hoc non solum philosophos, sed & Imperatores, & rerumpublicarum gubernatores extitisse. num idcirco maior Platone? tribuo ei libenter quod Ciceroni, flumen orationis aureum, admirabilem scientiã & copiam: sed cum hunc maximè admirer: tamẽ Platonem semper excipio: non id solũ spon-

te mea, sed optimos atque clarißmos autores secutus. Panætius enim Stoicus, non Academicus, Platonem philosophorum Homerum nominat. quod si verum est: vt Homero nemo habetur poëta maior, nec fuit vnquam: ita & Platone nullus maior philosophus. Nã quod vos adfertis, artes ab eo integrè traditas esse, id Platonis dignitati nihil derogat. nam id si esset: Lucretius et Ouidius, et Hesiodus, & Horatius Homero essent præferendi: quod Lucretius Epicuri doctrinã ordine et uia explicasset: Hesiodus Deorum genealogiã: Ouidius omnes Deorũ Metamorphoses: Horatius poëticen: quæ vel artes sunt, vel artibus sunt similimæ doctrinæ. Hæc vestra si ratio locum habet, essent rhetorici Ciceronis libri meliores, quàm orationes. imò longè inquis meliores, ut legantur in gymnasijs ad artem docendam. at ego nego, & profiteor plura me in orationibus demonstrare posse, quàm in artibus dicendi sunt traditæ: atq; in orationibus artem melius docere posse, quàm ipsis siue doctrinæ siue

siue artis præceptis, et rhetoricos libros exigui temporis explicationem exigere, orationes verò diuturnã in scholis, domi perpetuam. Facilius mihi probabitis Petrũ Hispanum vtiliorem esse gymnasijs, quàm Aristotelẽ: nam et ordinem Aristotelis retinet, & superuacanea resecat: & obscura exponit clarius. & tamen hunc exulem volo: et Aristotelem scholarũ non ciuem solũ, verũ etiam moderatorem: sed ita vt Paltonem et collegam patiatur propter leges: & honoris locũ ei tribuat, propter ætatẽ: et quia præceptor eius fuit, et quia ita principes viri uoluerunt, vt Panætius, ut Cicero, vt ipsi Peripatetici, quorũ nemo quòd sciam scripsit Platonem Aristoteli cedere. tametsi et Panætius Zenonem, & Peripatetici Aristotelem autorem & parentem suæ familiæ habeant. Sed vt ad primũ vestrũ argumẽtum redeam: Plato artem nullã explicat integrè. At ego quod tu in Aristotele integrũ uocas, dico absq; Platone non posse sæpe explicari: nam vt de dialectica primùm loquar: quod

quæso vllum apud Aristotelem præceptum est, cuius apud Platonem non extent plurima exempla? atque ita extent, vt si ex ore Platonis disserendi doctrinam Aristoteles non accepisse, cum acceperit: tamen quæ in Platone annotauit, ea in artem suam retulisse appareat. id quod ex octauo Topicorũ librorum constat, quæ tota est Platonica disserendi ratio, quam cum Aristoteles tradat, tamen in nullis eius libris apparet. caremus enim eius dialogis: & vos ea reiicitis. Iam in Physicis et Ethicis: quid ab Aristotele scribitur, cuius apud Platonem non extent vestigia? imò multa ab Aristotele ponuntur obscurè, quæ in Platonis sermonibus sunt explicata dilucidè. Verum tamen, inquis, nõ integrè. Neq; omnia integrè Aristoteles. Nã à Theophrasto leges traditæ sunt, quas Aristoteles præterijt, et cum vterque de Republica scripsisset, tamẽ Theophrastus, vt est apud Ciceronem, quæ essent in Republica inclinationes, & momenta temporũ, quibus esset moderandum utrunque

que res postularet, id amplius exposuit Aristotele. ideo ne Theophrastus melior aut vbique, aut in scholis? Sed Plato nihil Aristotele explicatius. ego verò contra sentio multa ab Aristotele breuiter & obscurè posita esse, quæ nisi ex Platone intelligi non queant. & si huius esset scriptionis, exemplis ostenderem. Sed vt habeas ad quæ respondeas: primùm aio, nihil ab Aristotele doctrinæ traditum, cuius apud Platonem non extent non solum vestigia, verum etiam principia. & nescio an non in Platonis Tymæo et hæc contineantur, quæ his octo de natura libris docentur: & alia multa, quæ in reliquis Aristoteles persequitur voluminibus. Deinde multa à Platone differi, quæ ab Aristotele prætermissa sunt: vtilia ad vitam, necessaria ad Philosophiam. Tum multa esse ab Aristotele præcepta, quæ nisi in Platonis sermonibus intelligi nõ possunt, cuiusmodi sunt propè omnia quæ in dialectici libris traduntur. Postremò vt sapientia in naturæ obscuritate recondita est: ita in

Platonis ſermonibus eadem poſita eſt et cõ cinnata: non ordine, vt tu vis nullo: id enim methodum vocas: ſed ordine, via, ratione: diuina, admirabili, ſingulari. tempus enim iam eſt, ut ad alterum reſpõdeam. Eſt profectò is ordo in Platone quem requiris, ſi à nobis animaduerteretur. & vt eſſe credam Cicero efficit: vt ne putes me videre, quod vos videre vos diſſimulatis. is enim vbi in primo ſermone Tuſculano ex Platonis Phædro Socratis rationem de immortalitate animorũ recitaſſet, ſcribit his verbis. Licet concurrant plebei omnes philoſophi (ſic. n. ij, qui à Platone & Socrate, et ab illa familia diſſident, appellandi videntur) non modò nihil vnquã tam eleganter explicabunt, ſed ne hoc quidem ipſum quam ſubtiliter cõclu ſum ſit, intelligent. Nõ modo intelligere eos negat, ſed ne intellecturos quidem, cum elegantiam, in qua eſt concinnitas: tum ſubtilitatem in qua ordo eſt et via, quam vos in hoc autore poſtulatis. ſi id Plato in vna re ſingulari animi, ſcilicet immortalitate face

re

re potuit, et fecit: cur id non sit conatus in re vniuersa? & si fuit conatus, cur nō potuit? et si potuit, cur nō fecit? Non, inquis, apparet, non extat, non ab omnibus intelligitur. Quæso te, legat aliquis, non rusticanus, sed vrbanus, vt ex urbanis deligas calidissimū aliquem aut Senatorem, aut scribam, aut etiā ex aula aliquē astutissimū veteratorē, euoca vt Aristotelis non solū dialectica legat, quæ subtilissima sunt: aut Physica, quæ sunt etiam ἀκροαματικὰ, sed etiam illa quæ extant de vita & moribus, & de gerendis rebus publicis uolumina: quid quæso, se profecisse vbi leget, dicere poterit? aut quid poterit proficere absq; interprete atq; explicatore? Num idcirco Aristoteli aliquid detrahetur: quoniā vulgus hominū nō intelliget? aut ideo Plato deteriore loco erit, quia plebei illum Philosophi non capiunt? an potius quo doctioribꝰ habet opus explicatoribus, quàm Aristoteles requirat: eo ipse habēdus est eruditior? Quem enim Aristoteles habet præter Alexandrū Aphrodiensem, et Ioan

nem Grammaticum, & Boëtium & Arabas: cum Platonem attentare nemo ſit auſus præter Proclum: & Proclo pares viri aliquot longè his quos nominauí doctiores. Sed de ordine loquor & de via tractandi, non de rebus, quas ego ita à Platone dico et elegantia, & ſubtilitate ordinis traditas eſſe, vt in eodem lateãt: non confuſiſſe, ſed definiendi & partiendi & cõponendi ratione retenta. Sunt enim omnia illa ἀκροαματικὰ, quæ animaduerti & intelligi nõ poſſunt: niſi nos & auditores nos & ſpectatores præbeamus. Nam & aures ad doctores oportet & oculos afferre, vt cognoſcantur: atque ea de cauſa non ſolum ἀκροαματικὰ, uerùm etiam ἐποπτικὰ nominata: propter mathematicas delineationes, quæ videndi ſenſum requirunt, vt illa quæ de motu ab Ariſtotele in tuis Phyſicis diſſerũtur. Methodum igitur quæ hodie in omnium eſt ore, & uſurpatur à paucis. in Platone dicimus & in vniuerſis ineſſe, et in ſingulis argumentationibus hærere. & dialecticam illam

lam collocandorum argumentorum viam, de qua apud Aristotelem libro octauo præcepta exposita sunt: in nullo qui hodie extant, ne quidem in ipso Aristotele, excepto Platone, apparere: cum in omnibus sermonibus, tum in illis præcipuè qui σοφιστικοὶ & παραστικοὶ nominātur. Sed de his aliàs cum cum voles. Respondebo de ironia: quā quia tollitis: primùm id aufertis à Socrate, quod eius fuit proprium & peculiare: & quo nomine maximè laudatur ab eruditis. Deinde id tollitis, quod in iocis & salibus est vrbanissimū, atque etiam humanissimum quoties ita adhibetur, vt fit à Socrate, absq; acerbitate atq; amarulentia. Præterea quod sermonibus conuenientissimum est, adimitis. propositionum enim contentiones, quas αὐτιθέσεις vos Aristotelici nominatis, maximè dissimulatione condiuntur: vt ne animi principio exacerbentur disputantium, et sermo habeatur, inter amicos humanus, apud aduersarios liberalis. itaque nullum est apud Platonem inuenire Socraticum conui

tium, nullum ambiguè dictum, nulla obiurgatio inimica: nulla impeditio disputationis, nisi talis aliqua fiat: qualis in Platonis Gorgia, propter Poli destitutionem, ob quam à iuuene ad senem Gorgiam translata est disputatio. Sed inquis, difficile est animaduertere, quid verè dicatur à Socrate, quid simulatè: cum in vtroque genere ironia vtatur. Quasi verò tibi aut tui similibus ista obscura sint, & nō cognoscas: primùm ex professione illius familiæ, tum ex rebus rerumque ipsarum sententijs: deinde comparatione argumentorum: postremò ex ipso genere sermonis. Extat enim omnium generū partitio. Si hoc incōmodum est in Platonis libris: quod sanè suauissimum est: plura certè & maiora apud Aristotelem. Nullum ibi enim præceptum, exemplo, neq; tali, neq; ita explicatū, vt non possit explicari melius. Deinde in refutationibus, in quibus est sæpe nimius, nullus explicatus ordo. Post etiā multa ab illo ex alijs scriptorib. desumpta sunt, ignorata nostris temporibus. Deinde genus ora-

orationis à uulgi consuetudine sæpe remotũ: quædam etiam ab eo excogitata, & noua in verbis atque sententijs. Postremò nusquam integer. Non enim puto te existimare, eos esse Aristotelis libros, quos hodie habemus, & non librorum Aristotelis commentarios. L. Sylla enim primus Aristotelis libros, à Theophrasti hæredibus emptos in Italiam attulit: ante illud tempus & in Græcia, & in Italia illorum librorum solum commentarij circumferebantur, vt ego arbitror. Nam antequam Sylla eos in Italiam attulisset, Cato & Cicero Aristotelis doctrinam cognouerant: cum tamen eo tempore integra volumina laterent in Bibliotheca Theophrasti. Deinde fuit Catonis tempore consuetudo commentarios habere, non solum accepti atque expensi, quod omnium fuit: verùm lecti etiam, vt ita loquar, vt fuit Catonis commentarius earum sententiarum, quibus in foro à Stoicis collectas vti voluit. Postremò si integri sunt libri, quos habemus: vbi quæso illud

flumen aureum orationis? vbi admirabilis illa copia? non dico quo in libro, sed qua in argumentatione, in quo aliquo loco communi? Quanquam hoc non vitium Aristotelis est, quod fateor, verùm infelicitas: illud tamen ad rem pertinet, quî Aristoteles contractus sit, quî factum est, quòd idem nõ euenerit Platoni? quia ita copiosus est, vt nihil addi possit: & illa copia rerum est ita vtilium, vt nihil detrahi. id quod in hoc autore admirabile est, eoque & genio librorum, & suo artificio, integer & purus vsque ad nostrum æuum peruenit. Scio quid mihi ad hæc omnia respõsurus sis: te idem Platoni tribuere, quod Stoicus fecit Panætius: esse illum diuinum, esse Homerum philosophorum: sed in gymnasijs minus idoneum? neque illud velim à vobis dici, propter nostrorum hominum fastidium, atque desidiam. deinde verius dici poterat alterũ absque alterutro in scholas non deberi admitti: nam alterum ab altero explicari. Postremò totus est Plato ἀκροαματικὸς, neque intelligi

gi potest, nisi in scholis, hoc est, ab explicatore: vt ipse etiam Aristoteles ex ipso Platone intellexit. Qui igitur nisi ἐν ἀκροάσει intelligi non potest: eum philosophorum, siue σχολῆς, siue συνουσίας, siue ἀκροάσεως & ἐποψίας minus dicemus esse idoneum? ex quibus si eijcias, vbi quæso locum habet consistendi? Exposui tibi meam de Platone sententiam, non tam oppugnans, vt initio scripsi, tuam, quàm meam explicans. & tu scis quanti ego Aristotelem faciam: & mei amoris ego documentum dabo, Aristoteli meo Rhetorico. scis etiam quantum te amẽ, quanti faciam: & quia te scio humanissimũ esse: placuit iocari tecum: & simul tamen cum Aristotele Platonem retinere: vt eadẽ cum Aristotele spacia conficiat, pari existimatione, æquali dignitate: mutatis post singula facta spacia lateribus & dextris, vt idem vtrique honos maneat. Vide quãtum tibi concedam? quem præponere poteram: eum patior esse parem: id ego idcirco facio: vt ne te fortè offendã, si offendi queas:

deinde quia æmulum me habes in Aristotelis amore: ne ego meos amores improbare videar. Itaq; & Amaryllida tuam amo, et meam Galatheam diligo: nutricē crede mihi plenam lacte, idq; saluberrimo atq; optimo ad educandum hominum ingenia, aderudiendum, ad locupletandum, ad ornandum. Vale.

IN M. T. CIC. EPISTOLAS familiares.

IOANNIS STVRMII AD Erasmum Episcopum Argentoratensem præfatio.

ANtequā Episcopus electus esses Domine, putabam me absentis tui desiderium leniter ferre posse. Cum enim considerarem statum Reip. nostræ, & animadverterem communia tempora, & reputarem mecum ipse vastitatem Ecclesiarum: optabam te Episcopum creari, cuius ego et pru-

prudentiam, & temperantiam, & induſtriam, & ſtudia noſſem, quiq; velis quoad poſſis præſentibus malis adferre remedium. Nunc verò poſtquàm ex vrbe egreſſus es: manifeſto cõperio, in meo erga tuã amplitudinem ſtudio, nõ ſolum obſeruantiam, verũ etiã amorem infuiſſe: qui iã metu territus, ſolicitum tui deſideriũ in me parit. Cum.n. cogito qualis à me vir ablatus ſit, & intelligo ad quas quantasq; res delectus: vincit amor, vt abſentẽ te eſſe doleã, et metuã, ne in eo munere atque officio, cui pauci atque haud ſcio an vlli rectè præſunt, tu etiã omniũ queas expectationi ſatisfacere. Cupio autẽ omnib⁹ ſatisfieri, quemadmodũ factũ eſt tũ cum nobiſcũ eſſes: et cũ laudẽ haberes mã ſuetudinis, cõtinentiæ, moderationis, prudẽtiæ. cũq; nihil ageres vel ſerio, vel exercitationis gratia, quod nõ probaretur. Nũc verò eo munere fungeris quod principũ virorum propriũ eſt, et in quo alij ad opes, alij ad uenationes, alij ad inimicitias horũ ſtudia ſolẽt incitare: pauci ĩ literarũ et ſanctitatis amore

retinere. Vt enim quisq; cupit suas rationes hero probari: ita etiam ad easdem cum autoritate valet, eum cui placere vult adhortatur. Sed tamen cõsolatur me cõstantia tua, & confirmata primæ ætatis indoles: quæ iã multarum virtutum radices egit, & latius sese explicat, propagaturq; ad multos: quæ me ne spes fallat, rogo te etiam atque etiam Domine vt cogites: & sic statue nõ me solum id pro vetere consuetudine atque studio meo erga te, tuaque in me beneuolentia contendere: sed omnes etiam ciues, & viros bonos optare, populũ postulare, Ecclesiã Christi flagitare, Christum Deumque requirere. Et quanquam scio voluntatem tuam erga nostra studia mutari non posse, tamen ut ne eadem his nouis multisque & magnis occupationibus impediatur, est elaborandũ: quã vt renouarem, statui tuam amplitudinem in principio huius voluminis appellare: primùm vt rogarem & obsecrarem: deinde nõ vt docerem, sed ut matres ad cunas infantibus nænias præcinunt circunstantibus senibus

bus duplicem voluptatem capiunt : vnam in infantibus quod flere desinant: alteram in senibus quòd delectentur, dum cogitant, se quoq; aliquando huiusmodi cantu placatos fuisse, eo tempore cuius meminisse non possunt : ita mihi quoque iucundum est in hoc tempore, & tibi veterem priuatamq; occupationum memoriam renouare : & simul adolescentibus & studiosis hominibus aliquid scribere, quod nonnullas habeat vtilitates: velut est illud.

Qui viam aliquã patefacere conati sunt, & rationem scribẽdi ad absentes, epistolarumque genera voluerunt explicare adolescentibus: eorum ego industriam laudo in elaborando: & in consulendo literarum studijs voluntatem probo: sed profecto demanant hæc præcepta, ex oratorum fontibus, & è Rhetorum riuis: quorum antea ratio est cognoscenda. Horum enim perceptione ista posteriora in nostram intelligentiam ueniunt: celeriusq; obseruatione & imitatione quàm arte aliqua tali, qualem aliqui in-

uenerunt, possunt comparari: hortari enim & suadere, & consolari, & queri, & petere, et recusare, et cõmendare, & monere, et amorem iudicare: item accusare, et expostulare, et expurgare, et exprobrare, et deprecari, & nunciare, & mandare, & laudare, & gratias agere, & gratulari, et iocari, & disputare oratorum sunt, neq; quisquam unquam dicendi rationem tenuit, qui hæc ignorauit. Illa etiam distributio ab ijsdem magistris tradita est, ad dicendum, nõ ad conficiendas epistolas: considerandum esse, quis scribat, & ad quem, & quibus de rebus: quæ vel ad nos pertinẽt, vel ad eũ ad quẽ scribimus, vel ad vtrumq;, vel ad alienos. Habentq; singula eiusmodi uiam atque rationem, vt oratoris iudicio, multa sæpe præponãtur, postponantur, omittantur, pro rebus, personis atque temporibus. Iam illa de forma & charactere epistolarũ, de partibus epistolæ, & argumentorũ generibus, quis non videt è Rhetorũ scholis esse profecta? et aut priº discì quàm oporteat, si ante rhe-

rhetorica præcepta cognoscantur, quod est intempestiuum: aut bis discì, quod est inutile, si repetantur. perinde enim fieret ac si in præceptis elocutionis rhetor grammaticas regulas, noua quadã ratione repeteret. Nulla enim aut memoria, aut iudicio præditus est, qui postquam artem tenet, hæc non potest in epistolis obseruare: neque fieri potest, vt qui in orationib. artem annotare possit, idem non possit in literis. Sed hæc non eo dico, quo vituperem eos libros, qui de hac ratione scripti sunt: laudo enim horum hominum studium & doctrinam: uerùm quia illa præcepta scriptorem bonum facere absq; dicendi arte non possunt: idq; ego re ipsa cõperi, nolim in re non necessaria, impedire cursum adulescẽtulorum. de scholis loquor, & doctorum officio, qui è sua officina quod necessarium nõ est, debẽt remouere. extra eum locum non veto hæc eruditos homines cognoscere: & tribuere suam laudem hisce scriptoribus. Sed ego Marci Antonij sententiam sequor, qui non omnia quæcunque

loquimur, vult ad præcepta, & artem reuocari. idq; eo sermone sensit, quo præsentẽ habuit L. Crassum, quo Roma non vidit eloquentiorem illis temporibus: excluſitque ex arte laudationes. Historia nondum etiam tum fuit instructa rhetorum præceptis, tãetsi erant eo seculo non solum narratores, sed etiam exornatores rerum, & apud Græcos præclari erant rerum gestarum scriptores, qui cæteris omnibus semper fuerunt exempla, nullis propriis præceptis, quæ quidem extarẽt, sed quæ ultro in scribendo occurrerent. Habent enim historiæ propriam quandam legem: primùm nihil falsi scribere, vera libere exponere, hoc est, gratiæ & odij suspitionem vitare. Deinde temporum ordinem seruare, regiones describere: consilia, acta, euentus explicare, & in consiliis ostendere quid laudabile sit, & quid vituperandum. in rebus gestis quomodo gestæ sint commemorare, et in euentu causas, vel casus vel prudentiæ uel temeritatis ponere: hominũq; aut genere, aut virtute, aut fa-

fama excellentium vitam naturamque demonstrare, vt verba ipsa collocata, genusque orationis fusum sit et tractū profluēsq; leniter & æquabiliter: hæc historiæ præcepta sunt: sed generatim tradenda sunt, explicationem non requirunt. nam si id necessarium esset, oporteret etiam Theologos qui populum docent, habere quandā homileticen, multis libris explicatam, sine qua tamē Chrysostomus & Basilius cæteriq; multi nobiles doctores extiterunt. Sed tamen est aliquid etiam his peculiare. vt proponere aliquid, aut aliquid è diuinis libris recitare, de quo uelint concionari: illudque ipsum explicare: monere quid in consuetudine manserit, quid in eadem sit immutatū, quid detractum, quid additum: quibusque id sit factum de causis: res finitas, ad præcepta consiliaq; infinita deducere: opiniones falsas refutare, veras tueri: mores vitiosos emendare: officia omnibus generibus atque ordinibus hominum præscribere: ad sanctitatem & religionem cultumque Dei adhortari:

de Dei bonitate & nostra malitia, de breuitate huius vitæ, et futurorum seculorum perpetuitate, infinitateque, deque similibus rebus disserere: eaque omnia facere, eoq; reuocare, vt demõstretur, vnicum salutis nostræ autorem, & in rebus aduersis portum esse Christum: ad cuius vitam, homines suã vitam aggregarent, cum significatione lenitatis, amoris sanctimoniæ, vitæque talis, ad qualẽ eos quos meliores esse vult adhortatur: id quod fit oratione moderata, & actione verecunda, in quorum vtroque & ars naturalis, et natura artificiosa debet existere. Sunt hæc quidem vtilia, quis negat? pauci etiam tenent, & sunt necessaria: verùm aut paucis verbis ista proponenda sunt: aut si sunt explicãda singula, ea ad bibliothecas et domesticas lectiones referantur, & excludantur è scholis atque gymnasijs. Itaque in his locis, Aristotelis de moribus libros, et Cic. de officijs interpretandos sentio: de Episcopi autem officio, quod scribetur, id in priuatis studijs reseruabitur. In

scho-

ſcholis verò Theologus breuiter docere debet: natura vnum genus, idemq; Epiſcoporũ eſſe, ut una ſemper eademq; eſt virtus atque iuſtitia: tẽpora aũt duo genera effeciſſe. & primi eſſe docere publice: monere priuatim: nullis curis alijs occupari quàm religionis: cætera munera alijs diſtribuere. Alteri verò prouidere ut ne quid eorum deſit, quod à primo olim requirebatur: vt cæremoniæ non fœdentur: vel quæ contaminatæ ſunt purgentur: vt qui docent caſtè viuant, doceantq; rectè: qui opes conſeruant ac diſpenſant, nihil perdãt, nihil alienent, nihil in ſuum commodum conuertant. vt domus eius exemplum ſit ſuis, & portus doctrinæ & elegantiæ, caſtitatis atque honeſtatis: ut nec in conſiliarijs, nec in familia ſint, qui oderint eos qui populo atque Eccleſiæ Chriſti ſunt neceſſarij. deniq; vt in templis doctrina & cæremoniæ: in populo caritas atq; obſeruantia, in Epiſcopo ſolicitudo et autoritas: in omnibus ſanctimonia honeſtasq; retineatur. Hæc omnia rectè præcipiuntur;

ſed tum rectè cum vel paucis, vel non alienis temporibus. Magna enim vis ingenij eſt: quod cum acumen habet, & modica præceptione eſt infirmatum, mirabile eſt, quales quantasq; res breui tempore cognitione adipiſcatur. Idem ego de ratione texendarũ epiſtolarum iudico: breuiter ſcilicet percipiẽdã eã eſſe, nõ explicandã ſingulatim: idq; ita, vt memoriæ, nõ præceptionis cauſa fieri videatur. Sed duo ſunt legendarum epiſtolarum cæterorumque ſcriptorum tempora. Vnum ante rhetoricæ præcepta: ad cognoſcendam linguam latinam & comparandã verborum copiam, & cumulandas formas rerum atq; ſententiarum. alterum poſt horũ perceptionem, vt breui tempore videamus, id quod è rhetoricis magiſtris audiuimus, et in oratorum orationibus annotauimus: idẽ in epiſtolis hiſtoriisq; eſſe obſeruatũ: et prope eandem utrobiq; inuentionem, & collocationem & rerum uocabula, & verborũ ſententiarumq; eaſdem formas eſſe. In orationibus enim commendatio quid aliud habet,

bet, quàm laudem, petitionem, promißionem, proprias partes. Sed propriæ hæ ſunt in omni orationis genere: etiam ſi ipſa genera verborum ſententiarumque quidem habitu inter ſe differant: quibus cum additur aut narratio, aut occupatio, aut comparatio, iucundum eſt illud obſeruare, non neceſſarium arte aliqua propria præcipere. In gratulatione exponimus, gratulamur, conſilium damus, monemus, hortamur, confirmamus, optamus, rogamus. ſed poſtquam hæc à rhetoribus cognita ſunt, non opus habent vt orationes cauſæque graues, ita etiã epiſtolæ, doctrina aliqua peculiari. Vides Domine dum tu velut faſtigium honoribus tuis imponis, vel potius vt imponas impulſus es, me in veteri mea ratione adhuc voluptatem capere. Rogo Deum vt & tibi hanc dignitatem, & mihi hanc voluptatem, ad ſuam gloriam, & ad publicas vtilitates conſeruet, & Limpergenſium familiæ alterum lumen decusque conſtituat. Cũ enim multos illa habuit, magnos viros: tum

præcipuè Georgium Pabergenſem Epiſcopum gentilem tuum: cuius in rebus honeſtis ſuſcipiendis uoluntatem & conſtantiam: in ambiguis diſcernendis conſilium & iudicium, iſſdemque explicandis induſtriam felicitatemque, multi celebrarunt. Itaq; domus eius floruit ſemper, prudentiſſimis doctiſſimisq; hominibus: & rempub. ita adminiſtrauit, vt ſi hunc ipſa retinere potuiſſet, nõ tot tantasq; calamitates paſſa eſſet, quibus poſt eius mortem eſt afflicta. Vt igitur ille felix Pabergenſibus fuit: ita etiam tu Argentoratenſibus beatus exiſtas: quorum voluntates nuper cognouiſti, cum te Epiſcopum factum eſſe gauderent: & in omnium vultu atq; ore appareret, eum quem optarent, ſibi datum eſſe: cum pop. ipſe lætaretur: Senatus gratularetur: viri docti ſibi fructum ſuorum laborum percepiſſe viderentur.

IN M. T. CICERON. EPIST. ad Atticum.

IOANNIS STVRMII AD VVolfgangum Abbatem Campidunenſem, præfatio.

QVOD mihi quidã vitio fortaſsis uertent: id ego laudi dandũ exiſtimo. quod ad homines ignotos ſcribam: & viros magna aliqua uirtute præditos, et qui ſummũ dignitatis gradum obtinent, affari nõ verear. Si.n. adulatio mihi propoſita eſſet: blãdirer meis, qui mecũ ſunt, et mihi adeſſe poſſunt: ſi præmiũ ſpectarẽ, celebrarẽ eos, qui opus haberent alienis laudibus, ipſi aũt ſibi propriam nullã peperiſſent: nõ aũt hos, quorũ amplitudo laude noſtra non habet opus. Sed vt veteres olim Græci atque Romani non ſolum Dijs patrijs atq; indigetibus, ſed alienis etiã atq; exteris pro ſe aut pro patria vota faciebant: ita ego quoq; interea dum patronos bonos magnosq; uiros literis quæ-

re, non ad eos ſcribo quos præſentes habeo, quos conuenire ipſe coram poſſum: ſed ad eos qui ſunt abſentes, in quibus eiuſcemodi virtutes elucent, quales ego noſtris temporibus non ad ornanda, ſed ad tuenda noſtra ſtudia requiro. Quamobrem cum illi in dijs colendis alienis rectè fecerint: non faciam ego contra officium, ſi ad eos quos nunquam vidi, fama tantum noui, aliquid è mea bibliotheca mittam: præſertim cum ego minus in viris probis, quàm illi in dijs deligendis errare poſſim. Ac quoniam de tua prudẽtia atque conſtantia & ante Ratiſponenſia comitia mihi ſæpe Iacobus Bedrotus locutus eſt: et poſtea noſtri legati, qui inde reuerſi ſunt, eandem nobis opinionem confirmant: volui te non ignorare & laudatores te et teſtes et ſpectatores tuarum laudũ habere: ſicq; cogitare quod multi ſi opus eſſet, facerent, id me pro multis facere: & tanquam in cœtu omnium hominum, ita in hoc ſcripto, quod publicũ eſſe volo, præconẽ eſſe tuæ et bonitatis et virtutis et ſapiẽtiæ, ſed

pra-

præconem tantũ paucis uerbis: posthac fortasſis aliquando laudator ero, cum abſque adulationis ſuſpitione id mihi facere licebit. Nunc uerò magis mihi propoſitum eſt, te ad doctorum hominum & literarum patrocinium, quod annis iam compluribus ſuſcepiſti, tuendum adhortari, in eoque quoad poſſum, tametſi opus non ſit, tamen ut velle cõmunes commoditates videar confirmare. Sed de epiſtolis Ciceronis, quas ad Atticum miſit, & ego nunc eas à tua amplitudine admitti cupio, aliquid prius dicam, quàm cauſam agam literarum. Sunt enim qui dicendi genere difficiliores has eſſe exiſtimãt, quàm cæteras, quas ſedecim libris eſt complexus, in quo error eſt inutilis, deterruit enim multos à legendo. Nam ſi quæ eſt difficultas, in rerum illa obſcuritate poſita eſt, non in verborum orationisque grauitate. Fuit enim inter T. Pomponium Atticum et M. Ciceronem magna voluntatum coniunctio, & cõſiliorum communicatio: quæres cum in epiſtolis indicantur ſolum, non ex-

plicantur, habent obſcuritatem. hinc omnis difficultas exiſtit, quæ rerum eſt, non verborum, nec elocutionis. ſunt enim in altero volumine complures epiſtolæ, quæ & verborum genere ornatiores, & dicendi grauitate ſuperiores ſunt. multæq; ſunt quæ cõmunes locos, & philoſophicas ſententias et argumentationes plenè tractatas habent: quæ Attico ſolum aut ſignificantur aut notantur aut commemorantur, ſed numero, et pondere, non explicatione pertractata neq; prolixa: non enim quia grauius & ornatius, ideoq; obſcurius ſcriptæ eſſent: ſed quia ad vnum, vt illæ ad Brutum & ad Quintũ fratrem eſſent miſſæ, à reliquis ſeparauit: præſertim cum ornatus omnis, niſi illuſtris ſit, laudem non habet. Quamobrem cauſa nulla eſt, cur alteræ his præferendæ ſint, vel tenuitate rerum, vel orationis perſpicuitate. Sed eſt ſanè obſcuritas in rebus: quæ tamen legentem non magnopere poteſt impedire: duas enim ego cauſas eſſe exiſtimo, quare legendæ ſint Ciceronis epiſtolæ: vna lin-

guæ

quæ latinæ, altera rerum et cognitionis. Sed cognitio illa nõ artis alicuius est, nec ciuilis aut moralis scientiæ, quæ tametsi exempla ibi habeant, ipsæ tamen via & ratione non traduntur: sed quæcunque illa est, historiæ est, idque non plenæ: sed rerum aliquarum notabilium: quæ cum non explicantur, ipsæ quidem non intelliguntur, uerba tamen neque singula neque collocata, possunt ignorari: quo fit vt prima illa commoditas, quæ linguæ est, nihil impediat: aut si aliquando impeditur cursus lectionis proprietatis studia, fit tamen id non in omnibus locis, & fit rarò. Veruntamen res magnæ difficultate non debent homines studiosos à sui cognitione deterrere. Ego cum Louanij essem, placeretque mihi Cicero: & audirem remoueri multos ab harum lectione propter obscuritatem: volui videre in quo illa esset: & in prima epistola, cum non intelligerem, quid esset in gemitu frontem ferire: cogitaui vt hilaritatis, & beneuolentiæ, sic etiam iræ & doloris significatricem esse:

quemadmodum eadem vitiorum atq; libidinũ eſt occultatrix. Placuit mihi tũ illa obſcuritas, in qua ad aliquod lumen perueni, perrexique legendo: vt ex nullis libris, verborũ, rerumq;, hoc eſt formarum quæ collocatione verborum fiũt, et rerum ſunt ſimulachra, maiorem ſupellectilem compararim, quàm ex hoc uolumine: quod mihi principiũ fuit, eius quam habeo facultatis: quæ certe modica eſt, tamen quia aliqua eſt, uale mihi iucundum eſt, in his epiſtolis puerilis diligentiæ memoriam aliquando renouare. Atque hæc ego non eò commemoro, quo reliqui quia ego feci, idẽ faciant: uerùm quia mihi cui non magnum ingenium eſt, harum lectio vtilis fuit: oſtendam alios, qui ſimili natura præditi ſunt pares, qui meliore, maiores fructus eſſe ex hac percepturos. Sed fortaſsis ego hæc ad te alieno tempore, at quia huic volumini conueniunt, dabis veniam Domine. ſi quod non ignoras, tibi explicem: quo ſi tibi probabuntur, plus habeant apud cæteros homines autoritatis.

tis. Illud autem proprium huius loci est: primùm vt tibi gratiam habeam literarũ nomine, quòd eas sinas in tua amplitudine atq; dignitate patrocinitũ habere, deinde vt adhorter, quò hãc voluntatem nunquam deponas, quæ maiorum rerum de se significationem præbet. Sunt enim quædam virtutes paruæ in hominibus, quæ maximarũ rerum nunciæ esse solent. Ioachimus Camerarius quàm diu Simon Grynæus viueret, priuatim eum apud alienos sæpe laudauit: publicè in suis scriptis nunquam honoris gratia eius fecit mentionem. Nunc verò simul ac diem suum obijt, eius morti lachrymas, et literis dolorem præstat, et suarum literarum monumẽtis demonstrat, qualem quantumque virum, his difficillimis temporibus amiserimus. quod factum Camerarij etiamsi mihi carus & notus non esset: tamen ostenderet, animum in respublicas atque communes propensum: alienum ab adulatione, & ad candorem veritatemq; natum. Fratris tui Ludouici à Gruenensteyn nónne milita-

ris illa virtus voluntatem ad fortitudinem & ad pericula confirmatam, & ad patriam laudemque excitatam naturam ostendit? Demetrius, qui Rhodios oppugnauit, an non in Protogenis, hoc est vnius pictoris salute declarauit, se omnium artificũ cupidum esse: ideoque studiosum etiã doctorum atque philosophorum. Vt enim qui canibus & venatione delectantur principes viri: ijdem quoque equorum elegantia & pulchritudine gaudent: sic etiam qui unam aliquam virtutem amat, cæteras non potest odisse. Quamobrem ego sic statuo: quoniam literas amas, & homines doctos tueris, cuperem etiam te in his religionis offensionibus, aliquando exitum videre dissidiorum: vt concordia rursus Ecclesiarum coëatur: & vetus disciplina, pristinaque sanctitas reuocetur. Cuius studij quoniam non parua indicia Ratisponæ præbuisti: si non ante de tua erga nostra studia voluntate audissem, tamen nunc non dubitarem. Sunt enim cõiuncta hæc duo, nam neque religio absque litera-

literarum doctrina, rectè vel in diſsidijs cõtra ſceleratos defendi: uel in otio noſtris hominibus explicari poteſt. & doctrina multarumque rerum cognitio, niſi religione teneatur, nimis magnas vires ad vim & ad vicia propaganda obtineret. Ac profectò ſi vnquam opus fuit, nunc magnopere neceſſarium eſt, vt è Campiduno ſimilibusque locis, tanquam ex Lyceo aliquo, ut inde philoſophi & oratores, ſic hinc Theologi atq; literati uiri egrediantur: qua in re rogo Chriſtum optimum maximum, tuos conatos velit confirmare.

* * *
*

IN ORATORIOS CICERONIS libros.

IOANNIS STVRMII AD Adamum Carolum Regium consiliarium præfatio.

MITTO ad te rhetoricos Ciceronis libros Carole: in quibus tu præclarè exercitatus es, ego quidem multum & diu versatus: sed in quo ego iam annos multos non solum cognoscendo, uerumetiam interpretando elaboro, id tu iam olim consecutus es, vt latinissimè loquaris, & ornatissimè scribas. Nam quam rem mihi tribuis eam ipse arrogare neque volo neque possum, latini sermonis puritatem & orationis elegantiam: verùm amicis hanc meis multis, quorum doctrina mihi iucunda & eloquentia honorifica est, concedo. Quid enim mihi sumerem: qui re ipsa comperi, artem nisi egregium ingenium consecuta sit, nihil præclarũ edere

ædere. Docui Louanij annos duos, Lutetiæ octo, Argentorati iam quartus mihi exit, & susceptiadolescens harum artium professionem: quæ exercitatio, si tuam, hoc est meliorem quàm mea est naturam habuisset, effeciisset aliquid artificiosius: cuius formam ego quidem video, vos autem oratores eam sensibus hominum potestis repræsentare. Vim magnam ars habet, ubi animum acrẽ, & industrium semel erudiuit. Nam vt cæteros omittam, ego tametsi ingenio nihil possum, tamen sentio orationem meam cognoscendis his libris meliorem esse factam, non tam Sophistarum quàm philosophorũ præceptis. Scis enim tu Herennianos libros & illos de inuentione, tametsi multa academica doceant, tamẽ magna ex parte in rhetorum officina factos esse. Partitiones verò oratoriæ & orator et de oratore tres libri, ex Academicorum & Peripateticorũ spacijs prodierunt, id quod non orationis, sed præceptorum genus ostendit. Non enim illorum rationem probo, qui propterea solum

Ciceronem ſuos de oratore libros Ariſtotelico more ſcriptos eſſe dicunt, quòd in illis à Craſſo & Antonio in contrarias partes diſceptetur: ſed quia Theodectea ſunt quæ traduntur, quorum Græci Sophiſtæ non meminerunt, iccirco Ariſtotelico more conſcriptos eſſe exiſtimo. Antonius diſſimulator, vt ita loquar, & artis & linguæ Græcorum, in principio ſecundi ſermonis, cũ pleriq;, inquit, temere ac nulla ratione cauſas in foro dicant, nõnulli aũt propter exercitationem aut propter conſuetudinem aliquam callidius id faciãt, non eſt dubiũ quin ſi quis animaduerterit, quid ſit quare alij melius quàm alij dicant, id poſſit notare. Hæc quidẽ Antonius, ſed eadem Ariſtoteles quem didiciſſe nolebat videri: τῶν μὴ οὖν πολλῶν οἱ μὲν εἰκῇ ταῦτα δρῶσι: οἱ δὲ καὶ διὰ συνήθειαν ἀκὴ ἕξεως, ἐπεὶ δ' ἀμφότερα ἐνδέχεται, δηλονότι εἴη ἂν αὐτὰ καὶ ὁδοποιεῖν. διὸ ὅ γὰρ ἐπιτυγχάνουσιν οἵ τε διὰ συνήθειαν, καὶ οἱ ἀκὴ ταυτομάτου, τὴν αἰτίαν θεωρεῖν ἐνδέχεται.

Eodem in libro etiam illa partitio Ariſtotelica

relica est, mutatis quidem verbis, & conuerso ordine, sed tamen eadem retenta sententia. Ita ratio omnis dicendi tribus ad persuadendum rebus est nixa: vt probemus vera esse ea quæ defendimus: vt conciliemus nobis eos qui audiunt: vt animos eorum ad quencunque causa postulabit motum vocemus. Aristotelis enim τῶν δὲ τοῦ λόγου ποιουμένων πίστεων τρία εἴδη ἐστίν, αἱ μὲν γάρ εἰσιν ἐν τῷ ἤθει τοῦ λέγοντος, αἱ δὲ ἐν τῷ τὸν ἀκροατὴν διαθεῖναί πως, αἱ δὲ ἐν αὐτῷ τῷ λόγῳ, διὰ τοῦ δεικνύναι ἢ φαίνεσθαι δεικνύναι. Aristotelica etiam sunt quæ ab eodem de locis & animorum motibus disseruntur. & quæ à Crasso de vniuerso dicendi genere, & de verborum & orationis ornamentis explicantur. Denique si ex illis libris quæ Aristotelis & Academicorum sunt, auferamus, non multũ oratoris arti reliquũ fiet. Atq; his sanè præceptis fateor meam orationem nonnihil expolitam esse: si tamen politum nominandum est, quod puerile est,

& vt Sadoletus de me scribit, pubescem adhuc, nondumque suam quasi maturitatem habens. Veruntamen quantulumcunq; illud sit, velim nostris adolescentulis probari hos libros, & cæteris omnium rhetorum voluminibus anteferri. atque vt hoc consilium meum plus ponderis habeat, constitui tibi id exponere: non quòd nescias, sed vt magis mihi credatur, si idem tu statuere videaris. Non enim solum amo mores tuos, sed etiam tanti facio iudicium tuum: vt nostra coniunctio tua autoritate illustrior sit: & facile me abs te & in ignoratione erudiri, & in errore reprehendi patiar: ita vt ego vtilitatem, tu verò laudem ex nostro amore sis percepturus.

IN

IN PRIMVM M. T. CICER. orationum volumen.

AD GVLIELMVM DVCEM Iuliacensium, Ioannis Sturmij præfatio.

FVIT Gulielme dux illustrissime, inuidiosum nostris temporibus, & adhuc est, eorum institutum: qui imitatione sese Ciceronis, quàm cæterorum similes in dicendo esse maluerunt. Inuetum nomen est: & quemadmodum in philosophia Socratici, aut Epicurei: sic in exercitatione dicendi, Ciceroniani nominati sunt, imitatione veritatis, non quæ est in rebus ut dixi: sed quæ in oratione est perfectæ eloquetiæ. Itaque nostris temporibus Gulielme dux me adhuc adulescentulo, in diuersas partes discentium studia, nõ iudicio, sed eorum quos sequebantur amore, sunt diuisa. Id factum est Erasmi Roterodami, & Christophori Longolij, dissidentibus inter se de perfecto

dicendi genere opinionibus. Scio te quãdiu viueret, Erasmi perstudiosum fuisse, eiusq; mortui nondũ deposuisse credo memoriam. Et Christophorus Longolius multos & egregios amicos in Italia Galliaque habuit: sed Erasmi caussam maior plurimorũ hominũ applausus cõprobauit. Ac tametsi difficile est, ita de vtrisq; sententiã suã explicare, vt alterius partis inuidia tollatur, et alteri nõ lasa videatur authoritas: itã quid de Erasmo Longolioq; sentiam, et quid de vniuerso imitãdi genere statuam, breuiter in hoc tẽpore tibi, nostriq; hominibus exponam. De Erasmo igitur sic statuo: amisisse nos eo die maximum virum, quo ipse hac luce est priuatus. Fuit in eo incredibilis memoria: plurimarũ et maximarũ rerũ doctrina: orationis mirabilis facultas & copia. Nam quid ego de diligentia in elaborando, constantia in perseuerando, prudẽtia in iudicando, dicam? Quis enim est qui plura scripserit, quæ quidẽ laudem doctorum mereãtur? quis ita studia sua perpetuauit? qui inde à pueritia,

vsq;

vsq; ad occasum vitæ extremumq; spiritũ, nũquam distrahi se à sua bibliotheca suoq; ocio est passus: etiã tum cum sæpe maxima præmia, summiq; honores præponerentur. Quis verò illo tẽpore, quo ille scribere cœpit, acutius iudicauit, quis etiã copiosius, et politius scripsit, cuius exemplo atq; authoritate nõ solũ Germania, sed etiam Gallia, Italiaq;, partim excitata, partim cõfirmata, multos habuit et patronos et studiosos literarũ. Sed neq; Longolius, neq; ante Longoliũ Bẽbus, & in eadẽ ratione, vt opinor, hoc tẽpore maior Bẽbus, ad hãc laudẽ peruenissent: si his, quæ in Erasmo admiramur, fuissent destituti: imò etiã si in his quoq; non illi magni atq; egregij extitissent. Sadoletũ quis est, qui existimet hæc facere posse, quæ facit? absq; egregio ingenio, diuturna cõsuetudine, singulari doctrina? nisi ad literas natus, nisi in Philosophia et educatus et eruditus, et doctus esset, tot tãtasq; res eiusmodi oratione qua ipse utitur, nõ possit explicare. Iulij Camilli non tanta taliaque ornamenta

haberet oratio: nisi eius sententiæ Aristotelicis & Platonicis essent tinctæ præceptis. Quid ergo est? vnde illa doctissimorum hominum dissensio? aut quid vtraque pars secuta, suoq; contenta iudicio, contempsit alteram? Exponam equidem quod sentio Guilelme dux, nulla arrogantia, sed partim vt nostros ad meliorem rationẽ adhorter, partim vt rectè atque præclarè de vtroq; sentiamus: ne dum alterius studiosi sumus, infideles alteri, & iniqui esse videamur. Erasmus quoniam Longolium, & qui ab illo stabant, putabat nihil probare quod Ciceronis non esset, idque verbis non ratione æstimare: nimis solicitã ac diuturnam curam improbauit, & cæterorum scriptorum, qui tũ erant, quique superiore ætate floruerunt, et qui post Ciceronem aliquid ediderunt, opinionem atque existimationem, quæ laborare & decrescere his studijs nouaq; laude uidebatur, conatus est retinere: & ab hac solicitudine quos potuit, est dehortatus. Hi uerò quoniam suam rationem, mortuis nõ obstare,

ſtare, & viuis vtilem fore videbant: & quia viderunt, Eraſmum ſi vnũ potius qui princeps in lingua latina eſſet, imitari voluiſſet, cæteros verò cognoſcere: ornatius potuiſſe ſcribere: & quia nihil melius perfectiusq; Cicerone inuenerunt, eam quam ingreſſi ſunt uiam, crediderunt eſſe meliorem. Quamobrem alteri non placebat immodica imitationis atque ingenij intentio: alteri remiſſionem cogitationis ac ſtyli non probabant: ita vt altera pars ſummam elegantiam in dicendo voluiſſe: altera vt ne quid ad ſummam laudem deeſſet, elaboraſſe videatur. Hos authores ſecutus eſt alius ingeniorum grex: quorum pars una, dum per omnia legendo oberrat, nullumque quem ſequatur habet propoſitum: omnes cognoſcendo, neminem imitando: dum libertatẽ iudicij tueriſtudet, id quod conſeruare uult, penitus amittit: vt nullo iudicio prædita videatur. Altera in Ciceronianorum ſe numero poni cupit: & præter verborum volubilitatem, & ſonum nihil in dicendo admirabile eſſe

arbitratur. Quò fit vt alteri impuri sint & inconcinni: alteri inflati & tumidi: vtrique magnas in literarum studia calamitates importent. Id fit propterea quod eorum quorũ caussam probãt, rationem non tenent. Neq; enim Erasmus negauit Ciceronẽ cæteris anteponi debere, sed seruitutẽ à doctorum ingenijs depellere conatus est, et iudicium prudentiamq; requisiuit. neq; Longolius cæteros scriptores contemnendos existimabat: sed delectum habendum censuit: & in optimis erudiẽdum ingenium statuit. In hoc verò solũ dissidebant, quod alter non satis, alter nimiũ alteri in eo quẽ vterq; probabat, operæ insumpsisse videbatur. Sed certè solicitudine opus est: egregiũ exẽplum ei eloquẽtiæ necessariũ est, qui ad summa studet peruenire, præsertim in aliena et ablata à populo lingua. Magna enim res est et ardua Gulielme Dux, dicendi studiũ, atq; vsque adeo magna est, vt facilius esse putem unum hominem & medicũ, et iurisperitum, et mathematicum, quàm eloquẽtem fieri: et cum nihil

nihil maius ſapientia eſſe poſſit, tamen multis facilius fuit ſapientis quàm eloquentis nomen defendere: propterea quod eloquẽtia his omnibus rebus conſtet, quæ ipſa profitetur ſapientia: et multa habet, quæ ipſa prætrior ſuo iure ſibi poteſt arrogare: ſapientia ſæpe in ſuis ſe terminis continens, etiam cũ exire conatur, ab Oratoris regno depellitur. Itaq; reprehendi non debent, qui tantæ rei amore atque admiratione ducti, vel omnem ætatem in eo ſtudio conſumunt: vel plus attentionis & laboris, atque diuturniorem vigilantiam & diligentiam ad vnum aliquem conferunt, eumq; perpetuum quem ſequantur propoſitum habent: præſertim cum id cæteri ſcriptores Latini, ingenio, felicitate, varietate, copia, facultate, elegantia tali, qualis decet oratorem, non ſint aſſecuti. Nã vt de Hiſtoricis exponam quod ſentio: habent illi quidem multa oratorum ornamenta: ſed quoniam etiam multa propria habẽt, non in omnibus ſunt imitandi. Itaque Cæſaris commentarij, & Xenophontis libri

tametsi oratorij magna ex parte sunt, tamẽ de quibusdam aliter dissereret orator. Ipse etiam Cæsar aliter reos suos in foro defendit, & in Senatu Sententiam dixit, quàm in suis commentarijs res à se gestas exposuit: in quibus quidem pura & illustris breuitas à Bruto laudata est: sed tamen illæ tabulæ pictæ in bono lumine oratorijs ornamẽtis collocatæ, & splendor ille non veteratorius, quæ eidem in Bruto tribuuntur, in commentarijs non apparent. Quamobrem aliter cõmentarios scribendos, aliter causſas agendas esse iudicauit. Minus Poëtæ adferunt, etiam hi qui sunt ornatissimi. Et quos habemus in manibus Philosophi suo genere orationis contenti, de rebus, non his qui in curia et foro, et concionibus versati sunt: sed his qui vel in bibliothecis resederunt, vel in Lyceo disputarunt, vel ambularunt in Academia, uel in Stoa commentati sunt, tradiderunt præcepta. Idem de medicis & reliquis scriptoribus statuendum est, quorum omnium genus eloquendi, etiam cum ornatissimum

tissimum est, ad doctrinam magis, rerumq; cognitionem, quàm ad delectationem et motum, populumq; dirigitur. Quid ergo est? an non hi quoque cognoscendi? aut sunt ne apud Ciceronem omnia? Dicam equidem Guielme dux illustrissime sententiam meam: & ad te dicam qui adhuc hisce studijs delectaris: non vt te doceam, qui enim possem? sed vt tibi consilij mei rationem non exponam, sed reddam. Multum interse discere, & scribere: cognoscere, & dicere differũt. Rem arduam atq; difficilem dicendi rationem esse diximus, quæ ex multis magnisque rebus constet: neq; eloquentem quenquam dici mereri, qui sapientiæ nomen tueri non possit. Itaq; omnia quæ sapientiæ studiũ profitetur sunt cognoscenda: nemoque contemnendus scriptor, qui aliquid noui & boni adferat: sed tametsi omnia eodem discantur modo, tamen non eodem sunt orationis genere explicanda. Nos cum de imitatione loquimur, non quos legere, sed quem potissimum sequi, & quibus vestigijs insequi o-

porteat, inuestigamus. qua in re illud optabile est, vt cuius te similem esse velis, is, eiusmodi sit, vt cæteris præstet, & semper aliquid habeat, quod nec apud alium inuenias, nec ipse per te inuenisses, neque assecutus esses, si ab eodem discessisses: vt quoties ad eũ redeas, toties aliquid obserues, cuius te non queat pœnitere. apud quem etiam si nõ omnia tradita sint: tamen quomodo tradere omnia singulaque possis, & quomodo conueniat, quidue in vnaquaq; re deceat: eius ille viam rationemq; ostendat. Res enim ipsæ tametsi verbis naturisq; inter se differant: sæpe tamen quæ in eadem sunt naturæ societate, communem orationis formam et quasi figurã habent. Eũ igitur imitemur scriptorem, isq; orator sit, qui si non omniũ, tamen propè omnium exempla proposuit. Talis uerò aut nullus est, eorum quidem quos nostro seculo habemus: aut si quis est, profectò M. Tullius Cicero est: & quidem est certè: atq; eiusmodi, ut talis nemo fuerit, nostris etiam temporibus sit nullus: neq; quisquam post-

hac

hac vnquam sit futurus: nō solum in latina lingua, quod excusari potest: sed etiā, quod est admirabile, nemo in suo, patrioq; sermone id assequetur, quod Cicero: vt quodcunq; scripserit dixerit ue, id à nullo possit fieri melio. Quid est ergo quod in eo admiramur? Duæ solum res sunt. Prudentia etenim est, et ornatus congruens, quorum alterū multi habuerunt: alterum nemo est ita, vt perfectum sit, consecutus. Nam sapientes quidem multi fuerunt: neq; quicquā nostra religione sapientius: sed ornatus ille quem requirimus, qui est non solum verborum, sed etiam rerum, à cæteris aut conquisitus non est, aut non est inuentus: ne quidem à M. Antonio, et L. Crasso quos cæteris omnibus Cicero anteponit oratoribo. Nā de oratorib. loquor. Poëtæ. n. multi excellentes fuerunt: neq; quicquā Homero perfectius potest excogitari: sed inter Oratores Cicero ne græcorū quidē nemini potest postponi. Nā Demosthenes tametsi viribus aliquādo robustior esse videatur, et in collocādo nō cedat:

tamen neque ornatu est superior, & credo si ijsdem temporibus, in eademque ciuitate versati essent: quo tempore cũ Aeschine pugnauit Demosthenes: si Aeschinis causſam Cicero egisset, aut in exiliũ eiectus Aeschines non esset: aut si esset, tamen iniuria facta innocenti uideretur. Leue quidem atque incertum istud argumentum est: sed tamen mihi est ita persuasum: vt quoniam maiora in Cicerone ornamenta, quàm in illa Ctesiphontis causſa, reliquis ue Demosthenis orationibus animaduertere potui: credo hũc potuisse Demosthenem superare. Sed esto: concedam Demosthenem Ciceroni postponi in oratione non posse: tamen cæteras artes & philosophiam ille, quod fecit Cicero, non illustrauit: & apud Latinos nemo Cicerone melior: cuius rei maximum signum est, minimam partem eorum, qui quidem prudenter Ciceronem imitati sunt, legi cum fastidio: illorum verò qui aliorum se similes esse maluerunt, aut proprium dicendi genus habere voluerunt, multo minimam partem elegan-

elegantiæ laudem esse consecutam. Nō quod illi omnes sint reprehendendi, aut quod nihil ab his peccetur, dixi enim iam quosdam inflatos esse & tumidos, & sine causſa circumfluentes Ciceronis ſtudioſos: & præclari multi qui huic ſtudio ſeſe non dederūt: ſed quia ſi numerum augeri volumus eorū qui conſuetudinem vitioſam ratione pura emēdent: qui morem corruptum incorrupta cōſuetudine corrigant: qui claudant incultam & ſylueſtrem noſtrorum hominum viam: & veterum ac latinorum amœniſſimum, & pulcherrimum iter aperiant: qui elegan ter, polite, copioſe, ornateque ſcribant, ingredi in hunc campum oportet, & Ciceronis veſtigijs in ſummum eloquentiæ locum eſt aſcendendum. quod quidem noſtris temporibus minimè facimus: qui cum hunc ſolū oratorem habeamus, abſque hoc oratores nos euadere poſſe credimus. Hoc primum inde accidit, quod facilius eſt malè, quàm benè ſcribere: & quod ipſa imitatione non ſolum obſeruando, annotandoque, ſed etiam

exercendo, atque ſcribendo labor curaq́; augetur æmulatori. Deinde nõ tantum deſidia infectum homines animum habent, & ad inertiæ arcem confugiunt: ſed multas etiam cæterorum artium vtilitates à recta via, veraque ratione auocant: ita vt malint pecuniã in quæſtuoſis artibus quærere, quàm in re difficili laborare. Caret enim eloquentia noſtro adhuc ſeculo ſuis præmijs: nondũque ſuos eſt aſſecuta vel patronos, vel iudices. Plures adhuc ineptis, et ſtultis, et furioſis, & barbaris, quàm cultis, et moderatis, et prudentibus, et ornatis ſcriptoribus delectantur: Vis enim ſit noſtra ætate literatis, præclaroq́; iudicio præditis hominibus: non armis ſed opinionibus. Vulgusque nihil niſi petulans, & diſſipatum, & fluens, in oratione credit eſſe eruditũ. Quamobrem quoniam amicorum ſubſidijs Gulielme Dux illuſtriſſime, multitudinisq́; applauſu dicendi ratio deſtituta eſt, patronos requirit: qui hoc tempore ſunt comparandi, non in hominum eruditorum ſolum numero, ſed in veſtro

ſtro etiam ordine: apud quos ipſa cõtra barbaros, quaſi portum, et apud eruditos quaſi theatrum quoddam, ſic laudem opemq; inueniat. In his tu Gulielme dux principẽ locũ tenes; neque habet quicquam tua vel animi vis ſapientius, vel amplitudo maius, uel fortuna præclarius, quàm egregiã erga noſtras literas voluntatem: ad quam tibi tua natura dux fuit: quam ipſe in te literæ auxerunt: & in qua te doctor tuus Conradus Hereſbachius confirmauit: à quibus ita imbutus, ita inſtitutus, ita educatus es, ut quæ habes, et quæ tibi ſine armis relicta ſunt: neq; fortuna tempeſtate aliqua tollere, neq; uis inimicorũ bello detrahere poſſit: abſq; ſtudioſorũ, bonorũq; virorũ dolore: vt tuis malis quaſi per tuum latus reliqui omnes ſauciari uideãtur. Quamobrem ego tibi gratulor, literis lætor, patriæque meæ Solædæ gaudeo, quæ Mongaudijs tuis & Drimburgenſibus, & Oleuanis vicina eſt. à Deoque precor vt te in hac florente fortuna tua conſeruet: vt pace quam Reipublicæ tuæ retinere ſtudes,

perpetua vtaris: vt amici potius tibi in otio ornamento, quàm in bello auxilio esse possint: vt si concordiam & otium inimici nõ permittant, ad quæcunque pericula trahaberis, in his Deus suo numine tibi dux & adiutor existat: vt quarum rerum nunc nobis egregia documenta das, earum in senectute vberrimos fructus capias pietatis, modestiæ, æquitatis, iustitiæ, fortitudinis, religionis: quæ cum in amplissimis hominibus sunt, nihil potest ad veram felicitatem præclaramque gloriam deesse. Sed ornantur hæc omnia literarum lumine atque splendore: quæ quoniam in earũ gremijs per adolescentiam cogitationes tuas deposuisti, & eædem adhuc tibi curæ sunt: dabunt tibi egregios aliquando tuarum virtutum præcones. Verè princeps nobilitatis haberi debet, cuius genus, excellensque natura, & vitæ ratio doctrina illustrata est: proximus qui tametsi hac destitutus sit, tamen eos qui præditi sunt, amat: qui verò neque habent, et eos qui habent, oderunt: hi, vt ne quid grauius dicam,

dicam, idcirco odisse videntur: quod eorum qui habent, metuant ne dignitas obsit, & scientia obficiat. Quò fit vt illi minus amentur: tu verò deuinctam tibi literatorum omnium beneuolentiam habeas, cùm propter summum amorem erga nostra studia: tum eruditionem talem, qualis quidem in cæteris non facilè solet inueniri, qui maiorum suorum virtute tantum modo nituntur: auitã verò gloriam noua laude non studeant amplificare.

IN SECVNDVM M. T. CICERONIS orationum volumen.

AD HERMANNVM ARchiepiscopum Colonienſem Ioannis Sturmij præfatio.

MEMINI ego Hermanne Princeps Illustrissime cùm Louanij ante annos quindecim essem, præclaram de Comi-

te Schauēburgio, quem tu tibi adiutorem, atque succeſſorem coopraſti, ſpem nobis omnibus datam eſſe. Audiuit ille tum quotidie in Latina lingua doctorem, diſertum hominem Conradum Goclenium: cum ego Rutgeri Reſcij propter græcas literas, quas ille omnium optimè tradebat, eſſem ſtudioſus: ob eamq; cauſſam minus ego Conrado familiaris, qui à Rutgero diſſentiebat. Sed de Schauemburgio conſentientes noſtri ſenſus erant, maximum aliquando ornamentum, atque lumen in ſua Repub. futurum, ſi eum curſum ſtudiorum, in quo tum erat, poſſet cōficere. Erat in eo corporis dignitas, amabiles mores, et venuſtum ingenium, et quoniam omni cura diligentiaq; in eius educationem incumbebant hi in quorum diſciplinam traditus erat: nos qui coæui eramus ad maiorem diligentiam ſua induſtria excitauit: ne nobis præcurreret in eo itinere, in quod nos quoq; eſſem⁹ ingreſſi. Sed tū nobis eū puerilis quædam æmulatio propoſuit: nūc mihi publica fama commendat: magnaque lætitia

lætitia affectus sum, cum audirem eum tibi, tua uoluntate, successorem esse designatum. idq; in ista regione, quæ Solædæ patriæ meæ ita finitima est, vt cognatione gentis, et locorum vicinitate, vos beati esse non possitis: quin ad nos quoq; Ilios pars aliqua vestræ fœlicitatis demanet: quam quidem percipiemus certè, si vt in tuarum facultatũ et dignitatis, ita etiam in virtutem et bonitatis possessionẽ veniat. Nã inter cæteras uirtutes, quas in te homines semper amauerũt: tres nostra ætate clarissimum lumen emittunt: quarum vna iustitiæ tuæ est, amicitiæ cum vicinis gesta, & pax celebrata: cuius fructꝰ ad alias quoq; ciuitates uberrimi peruenerunt: altera prudentiæ est, in maximis dissidijs religionis, atq; Germaniæ, summa lenitas et mansuetudo: qua cũ alteram partem sequaris: aduersus alteram tamen æquũ te semper præbuisti: et quantũ in te fuit nõ passus es, vt odia nimis exacerbarẽtur: aut armis potiꝰ de religione quã legitimo cõsilio decerneretur. Sed hæ duæ uirtutes populares

ſunt: tertia ſummorum virorum eſt: literarum amor: et literatorum propugnatio: qui noſtro ſeculo à nimium multis veſtri ordinis hominibus contemnuntur. At principē hominem: & eum qui Remp. gerit: cū populi tum uel maxime doctorum, & ſtudioſorum virorum cogitationes decet reuereri. Nulli enim ſunt, qui vel iudicent cogitatione rerū grauius: vel vindicent ſeuerius memoria poſteritatis: vel literarum monumētis exornent præclarius. Hæ verò virtutes quoniam in te ſunt, ſunt enim profectò: & quoniam quaſi in ſpecula nō ſolum tuorum ciuium, ſed etiam Germaniæ ſedes: conuerſi ſunt & tui populi in te oculi: et cæterorum etiam multorum virorum animi conciliati: qui teſtes atque exornatores eſſe cupiūt, tuæ honeſtatis, prudentiæ, iuſtitiæ. Sed hæc ego ad alium, quàm ad te ſcribere malo, metuo enim adulandi ſuſpitionem. Veruntamen iſta præterire nequaquam ſilētio potui, primum quo tibi oſtēderem hominum opinionem, & cæteris demonſtrarem quas virtutes

tes maximè colere, in hac rerum et temporum inclinatione deceat, vt pax retineatur, libertas non amittatur, de religione decidatur, non armis quibus tolluntur, sed iustis deliberationibus, quod nullius mẽs veritati conscia potest reformidare. Deinde vt Colonienſibus meis aliquid adferrem, si pro ipsis dicerem: quorũ voces propter barbarorũ hominum importunitatem, ad te peruenire non possunt. Floruerunt aliquãdo in hac ciuitate literæ, cum in ea Sobius, & Cæsarius, & Phryſemius docerent: cœperant etiã quidam Dialecticorum collegia emendare: & fama etiam tum fuit de ſtipendijs conſtituendis, et doctoribus comparandis, quod Eccleſiæ facultatibus facilè fieri poſſe videbatur. Sed & hæc rumoris aura euanuit: & adhuc vitioſa docendi ratio manet: & ſimul cum magiſtris atque doctoribus vetus frequentia diſcipulorum ſublata eſt. Sobium vis morbi nobis abſtulit: Phryſemius quoniam nullum refugium in noſtris ſtudijs eſſe videbat, ad iuris ſprudẽtiæ portum con-

fugit: & iuris quàm sapientiæ consultus esse maluit. Senex adhuc tibi est, atque omnium nostrûm tanquã parens Cæsarius: qui in hac affecta ætate, post tot tantorumq; laborum defunctionem, nisi ab amicis sustentaretur, viderent eum literæ egentẽ: quas ipse semper ornauit, semperque maximi fecit. Fiunt hæc te imprudente, et video à nullis hoc uul nus populi tui indicari: cui nisi à te, & per eos quos tibi adiunxisti remedium adhibeatur: quæ spes poterit esse in hac ciuitate reliqua literarum? quæ etiã otij? Optima ratio est colligendi ciuiũ plebisq; gratias, literarũ propagatio: quæ homines magnos, & probos, beneq; moratos uiros gignere solẽt: quibus & magistratus authoritas, & plebis necessitudo, & Reip. dignitas chara sit: ita vt plebis obseruantia, & optimatiũ amor, perpetuo quasi vinculo constricta florentẽ, fortunatamque Remp. efficiant. Huius ego te monere uolui: non quo prudentior esse uidear: sed vt in eadem naui sæpe periti gubernatores, à vectoribus admonentur: ita etiã

ego

ego quæ video, non quæ ſapio, tibi prudentiſſimo viro demonſtro. Si nos Argentorati id ius, easque immunitates, atque beneficia Imperatorum accepiſſemus: quæ tui maiores Colonienſibus impetrarunt, et quibus illa ciuitas compluribus iam annis uſa eſt: efficerem vt florentem et frequentia diſcipulorum, & delectu literatorum atq; doctorum Remp. breui cerneremus. Maximis de cauſsis illa Imperatorum beneficia fuerunt olim à maioribus noſtris inſtituta: quibus cum recte vtuntur homines, neque Eccleſiæ viris ſanctis, neq; Senatus hominibus prudentibus: neq; Reſp. ciuibus pacificis poteſt deſtitui. Sed hæc duab⁹ potiſsimũ rebus conſeruãtur: ſeueritate diſciplinæ, et ſtudiorũ elegãtia. Sacerdotũ et auditorũ petulantia ciues à literis alienãt, & ipſæ literæ barbarie vitiatæ: magna plerunq; ingeniorũ monſtra pariunt. Quamobrem optimos ſemper doctorum collegia ſcriptores debent retinere: neque minus de mutandis authoribus ſeuerè deliberare: quàm faciunt magnæ Reſp.

quæ ſine cauſſa veteres leges non ſolent tollere. Ac vt perpetua lex eſt, Deum colere: ita in ſcholis Cicero ſempiternum exemplũ eſſe debet perfectæ eloquentiæ: quod quamdiu in his ludis manet, minus eſt extimeſcẽda barbaries. Idem enim in literis accidit, quod in religione euenit: in qua, quoniam in Theologorum ſcholas, barbarorum hominum commentarij recepti ſunt: deformatæ ſunt cæremoniæ, & amiſſa Dei cognitio, Chriſtique doctrina. Similis error noſtram philologiam fœdauit; nam poſtquam nullus delectus ſcriptorum habitus eſt, primũ meliores à deterioribus, deinde optimi à peſſimis ſunt electi: præſertim per Germaniam, quæ multa gymnaſia habet, in quibus vel nunquam, vel raro Ciceronis ſcripta explicantur. Sæpe mirari ſoleo, cum ad noſtras ſcholas adoleſcentes aliunde mittuntur: eſſe permultos quibus cum Dialectica & Rhetorica præcepta tradita ſint, & explicati poëtæ Græci, tamen eorum quæ Cicero nobis ſcripta reliquit, nihil cognouerint. quaſi

aut

aut minus vtiles ſint huius quàm cæteroru̅ libri: aut obſcurius ipſe de rebus quàm reliqui diſſerat: aut ibi neceſſe ſit eſſe difficultatem, in quo ſit elegantia: & in illo maximè tenebras, in quo ſit ſumm⁹ ornat⁹. aut meli⁹ ſit à Siculo, quàm Romano: Lilybæi quàm Romæ, ſermonem Latinum diſcere. Quamobrem tibi Princeps illuſtriſſimè & hunc ſcriptorem, & Colonienſe Gymnaſium, et ipſa literarum ſtudia commendo: ac quoniam primum volumen, quem tu amas & dilig is, dedicaui: alterum tibi offero. tertium ad Comitem VVertheimenſem mittam. vt qui ætate & uitæ profeſſione antecedis, dextra læuaq; habeas duos egregios ætate quidem nō grandes, ſed virtute uiros, quos cum opus erit, & tuo exemplo confirmes, & conſilio iuues, & ope ſublenes, et autoritate tuearis.

*
* *
*

IN TERTIVM M. T. CICERO nis Orationum volumen.

AD MICHAELEM COmitem VVertheimenſem, Ioannis Sturmij præfatio.

GRATISSIMAE mihi fuerunt literæ tuæ, nõ ſolum quia propenſum tuum erga me animum ex his cognoſcere potui: ſed etiam quia et literatæ erant, et prudẽtes: id quod in primis in oratione diſerta ſpectare ſoleo. Ac quoniam egregia tua voluntas eſt, & præclara natura: & ætas idonea: te etiam atq; etiam adhortor: vt omne ſtudium tuum, & ad bonarum rerũ doctrinã, et ad rationem dicendi, quæ ſapiẽtiæ eſt exornatrix, adhibeas. Si enim artes non ſolum propter utilitatem, ſed etiam propter honeſtatem diſcendæ ſunt: in primis adiungi debet qua ipſæ maximè honeſtãtur, artificioſa oratio. ſed quia ſermo Latinus de conſuetudine ſublatus eſt, neq; ſolũ linguæ hominum

in

in congressionibus, sed etiam stylus in bibliothecis multorum, acumẽ elegantiamq; amplius non habet: imitandus tibi is est, qui optimus semper est habitus, M. T. C. sine quo eloquens nemo nunc esse potest. Atque hoc tibi argumento sit, Ciceronẽ ad imitandũ nõ solum vtilem, sed etiam perneccssariũ esse: quod absque cæteris scriptoribus dicẽdi rationem perfectam assequi possumus: absque hoc verò non possumus. Primum igitur sic velim statuas, optimum hunc dicẽdi magistrũ esse, et summũ ornatæ orationis artificem. Deinde vt cogites de principio, qua via huiusmodi facultatem assequaris, ut ornatè, copiosè, et conuenienter de rebus scribere ac disserere possis. In imitando. n. non modo labore, sed etiã ratione est opus: multiq; pro laude quã inuenire voluerunt, etiã eam quã habuerunt existimationem, vitiosa imitatione amiserunt: & naturam quæ ratione emẽdanda erat, fucoso ornatu corruperunt. Sed quæ sit imitãdi via et ratio, alias explicabimꝰ: nũc verò angustijs tẽporis impediti,

ne paucis quidem possumus percurrere. Bene tu quidem à natura institutus es: sed eam contrarijs his rebus quibus corrumpitur oportet conseruare. Industriam enim bona indoles, & exercitationem, & temperantiam flagitat: desidiosi verò, & rudes et intemperantes, etiam si præclaro ingenio præditi sint, tamen vim omnẽ animi vitijs labefactãt. Si igitur is qui se Ciceronis imitatorẽ profiteri audet, ita comparatus: vt laborem amet, exercitationes non relinquat, bonitatem naturæ ipso vitæ genere tueatur. Quapropter ebrietas & familiaritates malorũ, vitandæ sunt, semperque aliquid agendum: & statuendum est literatorum hominũ studia perpetuam quandam quasi venationẽ, vt vult apud Platonem Socrates, esse. Primus verò exercitationis labor, in conquisitione verborum suscipiendus est. Origo enim eloquentiæ est verborum delectus. Sed hæc copia ex optimis scriptoribus est comparanda. Reprehendit Cicero in Tironis epistola valetudini fideliter inseruire. & Antonij

tonij quædam verba malè connexa vituperauit: quid si nunc ad nos rediret? nõ tam, vt credo, libertatẽ sui pop. amissam, quàm sermonem corruptum doleret. Ergo is proponatur, quem constat omnium optimè & scripsisse, & dixisse, locutum & esse: & ad cæteros non digrediamur, quàm ex Ciceronis scriptis verba, verborumque consecutiones, & sententiarum formæ sint cõquisitæ. Quæ uerò colligendi ratio sit, Christophorus Schaubius doctor tuus nouit: et opinor iam te ingressum in hanc viam, sed opus est constantia, neque quicquam magis impedit nostrorum studiorum cursum, quàm consiliorum mutatio. Verborum curam ratio arsque dicendi sequitur, quæ ab Aristotele & Cicerone tradita est: sed neque verba vim suam explicare, neque ars multum conducere potest absque plurimarum rerum doctrina, quamobrem legendi Philosophi atque Historici sunt: neq; alienum ab eloquẽtia habendum est, quod eam queat locupletare. Nam illa rhetorum præ-

cepta, quæ quidem nos habemus, neq; omnia explicant, & rerum tractationem non res ipsas tradunt: & ita tractationem indicãt, vt ingenioſi homines & ſolertes, plura ornamenta, & res maiores in oratorum ſcriptis obſeruent, quàm dicẽdi magiſtri ſuis libris ſint complexi. Sed in legendis cæterorũ libris, neq, temere ea multiplicãda ſunt, quæ ex Cicerone coaceruaſti: neq; quæ deſunt ex alijs ſine cauſſa ſumenda. Exercitato ingenio opus eſt, quod iudicet quid Latinũ ſit, et quid eruditorũ hominum aures nõ offendat. Itaq; omnibus in rebus magiſtro eſt opus: quem quoniam & ſtudijs et artibus, et doctrina præditũ habes: debes eum gratiſſimo animo proſequi: & pro oraculo habere, quodcunq; tibi ab eo conſulitur. Vides quadripartitam induſtriæ mẽtisq; exercitationem: quarum prima virtutis eſt: altera uerborum: tertia artis: poſtrema doctrinæ et ſapientiæ, in qua doctore, & præmonſtratore eſt opus: vt animus ab alio condocefactus à vera rectaq; via non aberret. His omnibus

ſcribendi,

ſcribendi, commentandi, dicendiq; conſuetudo adiuncta, et comparari facilius, et ad vſum accõmodari melius, & teneri memoria diutius, et ornari magnificẽtius poſſunt. Statuere enim oportet, neminem præclarũ ſcriptorem abſq; ſtylo extitiſſe. Verùm etiã in hac re et monitore, et magiſtro eſt opus. Eſt enim plena faſtidio ſcribendi exercitatio, præſertim incipiẽti: & niſi monſtrator aliquis viam indicet, qui illam non inuenit, quò longius progreditur, eo languidior atq; eneruatior euadat neceſſe eſt. Percurri breuiter ea quæ futurũ oratorem habere potiſſimum oportet: ſunt alia etiam multa et magna, quæ in ſingulis latent, ſed ea exponere, quemadmodum diximus, nõ huius eſt loci: tu verò Michaël Comes perge porrò, vt cœpiſti, tuæ fortunæ, doctrinam ſapientiamq; coniũgere. Patrem habuiſti Georgiũ Vuertheimenſem Comitem, prudentiſſimum & diſertiſſimum hominem: habes matrem honeſtiſſimam matronam, quotidie præſentem, latantemque tuis progreſſibus: habes

Eraſmum patruum, qui nunquam tui ſine ſummi amoris & charitatis ſignificatione meminit. acceſſit etiam magiſter talis, qualem pauci hodie tui ordinis adoleſcentes habent: vides matris ſpem & vota, cognatorum ſtudia & voluntatem, amicorum expectationem et promiſſionem: præceptoris verò doctrinam atque diligentiam. his te ſatisfacere oportet, vt ex veſtra gente aliquando fortiſſimum uirum, prudentiſſimum hominem, literatiſſimum heroa habeamus. tum verè Comes eris, cum homines intellexerint, te & uirtutis aſſeclam, et ſapientiæ amatorem eſſe, quæ duo uiri boni omnibus Imperatorum honoribus anteponunt.

IN

IN LIBROS M. T. CICERONIS de officijs.

IOANNIS STVRMII AD Stanislaum Seuerini filium, & Andream Franciſci filium Boneros patrueles Polonos præfatio.

INTER res eas, quæ ſubitò voluptate afficiunt, & quæ non niſi conſuetudine fiunt iucũdæ, præſtantiores plærunque ſunt, quæ non niſi diuturnitate, atque exercitatione delectationem habent. Venationes enim, & ludi, atque ſpectacula, ſtatim ſenſus ſuauitate deliniunt: literarum autem ſtudia, principio moleſta grauiaque ſunt: et nõ prius recreant, quàm ſentiamus progreſſus aliquos feciſſe, & fructum ex his percipere. Sed inter ipſos ſcriptores, qui indoctiores ſunt, vulgus hominum celerius magiſq; delectant, quàm hi in quorum libris perfecta doctrina recondita latet. Quotus enim quiſque eſt, qui Platonis, quàm noſtrorum

hominũ sermonibus, aut Euripidis, Aeschyliq;, & Sophoclis tragœdijs, quàm nostris poëtis magis recreetur? Quid est ergo causæ optatißimi Boneri, quod deteriora homines melioribus anteponũt? Non sanè quòd existimant apertiores, minusq; obscuros ad intelligendum esse: sed quia iudicare benè non assuescunt homines: idemq; in ingenij cupiditate ipsis, quod in cibi appetitione accidit. Nam quemadmodum sunt aliqui, qui depravato appetitu falsos aridosque cibos, quàm succulentos salubresque (propterea quod sanitati præferunt præsentem delectationem gustatus: est enim is sensus maximè voluptati deditus, & facilius uitiosam admittit consuetudinem) sic etiam sunt permulti, qui ineptis scriptoribus, vel quia nihil habent quod sit difficile, vel quia nimium sunt gratiosi, magis afficiuntur, quàm bonis, qui nisi à doctis atq; exercitatis intelligi non possunt: ideoque malunt, subito voluptatẽ percipere, quàm eam aliqua industria inuestigare. Quanquam sunt in veteribus scri-

ſcriptoribus, qui unà cũ grauitate perſpicui tatẽ quoq; in oratione habent: quod genus optimum eſt, cum tertium acceſſit, recondita doctrina ſcilicet, magnarumque rerum cognitio. In his Homerus primus ſummusque eſt, et facilior primo legenti, quàm quæ legit iteranti eſſe videtur. Claudius Fereus, qui his diebus diſceſſit, cuiusque mors nobis grauiſſimũ luctum peperit, pridiè quàm morbus ipſum inuaſiſſet cum de hac re cum eo loquerer: quinto iam Homerum recognoſco, inquit: & quoties lego, toties aliquid inuenio, quod antea non animaduerteram, quodque opus habet contemplatione: ita vt in principio mihi facilis lectio viſa ſit, nunc autem attentum & cogitabundum cognitorem videatur requirere. Egregium iudicium, & digna diligentiſſimi, doctiſſimique hominis ſententia: cuius vtinam licuiſſet nobis diutius doctrina & ad noſtrũ gymnaſium vti, & ad noſtram familiaritatem coniunctionemque frui diutius. Sed enim quod ille de Homero, idem de libris

M. T. Ciceronis quos de officijs scripsit vobis statuendum est in hac ætate: & cogitãdum non satis esse nosse, quid de his Plinius senserit: sed faciendum etiam atque etiam, quod sensit, & ediscendos esse. Nam cum propè omnes hoc Plinij consilium esse sciant: tamen quàm diu non sequuntur, quid prodest cognouisse? Sed certè verum est eius consilium: habent enim hi libri plurimas maximasque vtilitates. Nam si philosophiæ pars magna, vtilissimaque est, quæ de moribus tradita est: debent etiam libri de Officijs scripti non negligi, quorum ratio latissimè patet: cum non moratum sit, quicquid est contra officium: cuius finis tametsi in agendo positus sit, tamen intelligentia etiam comprehendenda est, omnis de officijs explicatio. Vt enim exẽpla, sic etiam præcepta nos reddunt meliores. & vt vos adolescentes excitari ad res honestas erudirique soletis, cum Serenissimi Regis Sigismundi sapientiam intuemini, & cum eandem in filio Sigismundo Rege florere consideratis,

&

& auditis de prudentia doctrinaq; Samuelis Maczuouuski Episcopi Chlemensis Regij Procancellarij, Ioannis VVilamouuski Camieniecensis Episcopi. vt, inquam, cum hæc in Regia gente, & summis ornatissimisque præsulibus esse auditis, & patrem Castellanum Stanislae, & tu tuum Andrea, & vterque vtrunque pro domesticis exemplis propositum habetis, inflammari ad virtutem soletis: sic etiam cognoscendis ediscendisque his libris quasi ab ipso Cicerone egregiam disciplinam accipietis, et delectabit vos talis scriptoris autoritas, et rerum quæ traduntur pulchritudo ad virtutem incitabit. Quid enim pulchrius quàm morum elegantia, & versari inter homines scienter & honestè? præsertim cũ hæc doctrina atque cõsuetudo, inde à prima uestra ætate in qua adhuc versamini sit susceptа, eiusque præclarum nobis dederis indicium. Tametsi enim Aristoteles optima uia rationeque tradiderit de moribus: tamen hi libri aptiores sunt vestræ adolescentiæ: tum

propter perſpicuitatem tractationemq; plus quàm philoſophicam: tum propter ſermonẽ latinum, quo vobis magis eſt vtendum, & in his libris purus eſt et propè quotidianus, & mea quidem ſententia Pautinis Terentianís ue comœdijs ordine anteponẽdus. Nã etiam ſi alter latinè, et alter tersè artificioſeq; loquatur, tamẽ alius eſt comicus, et alius ſedatus iſte philoſophicusq; ſermo. Itaq; non ſine magno incõmodo iudicijq; periculo Terentius, Plautusq; ab adoleſcentibus legitur, niſi idoneus acceſſerit interpres. Sed de hac re quotidie doctorẽ præceptoremque veſtrũ Vuolphgangũ Droſchiũ auditis: cui, quoniam diligentiſſimus eſt, debetis in omni conſilio atq; monitione, obtemperare: & quoniam vir liberali doctrina præditus, & inſtructus à prudentia rerumq; vſu, fidem habere oportet: & quoniam ego eum amo, & vos amo, ipſe autem nos viciſſim diligit, decet omni cura elaborare, vt vos patris ſimiles ſitis, & ipſe aliquando fructum ſuæ doctrinæ, fidei, diligentiæq; & ſolicitudinis

dinis percipiat, idq; fiet si literas, & patrē, & præceptorem amabitis & reuerebimini: & si quicquid legeritis, et à doctore vestro cognoueritis, id omne verissimum esse credatis: & nō solum ad intelligendum, sed etiam ad imitandum atq; faciendum dictū scriptumq; esse putabitis. omnis enim discendi vis in amore doctrinarum, & præceptoris autoritate, & exercitatione sita est: si acumen ingenij non desit; quod vobis est præclarum. Patruum ambo Iacobū Bonerū habetis, ex doctrina varia nobilē clarumq; virum: cuius si similes eritis, satis facietis et parentum, & præceptorum, & amicorū, et meæ expectationi: id vt faciatis vos etiā atq; etiam Boneri pro meo erga uos amore, & vestro in me studio rogo. Argentorati decimo Calen. April. anno 1541.

IN PRIMVM M. T. CICERONIS volumen Philoſophicum.

AD SEVERINVM BONERUM Ioannis Sturmij præfatio.

HOC volumine Bonere ornatiſsime te affari viſum eſt, ſed paucis: pluribus enim non decet, neq; apud Homerum Diomedes Neſtori: ſed hic illi cæteriſque Græcis rectius dat conſilium. Non ergo ego hæc quo ad tuam vel doctrinam vel ſapientiam quicquam adferam: ſed quo à tua amplitudine atque authoritate literæ aliquid accipiant, eò te hac præfatione appellare conſtitui: & non docendo ſed rogando, neq; conſulendo ſed poſtulando eloquentiæ atque latinæ philoſophiæ opem apud te inuenire. Nã non ſolum retinenda & dilatanda ſunt noſtra ſtudia, ſed conſeruanda etiam atq; confirmanda: ne noſtra negligẽtia videatur doctrinæ elegantia aliquando à nobis vobiſq; ſubla-

ſublata eſſe. Floruit olim Græcia omni diſciplinarum genere: & ab Aegyptijs antea Græci multa didicerant: et ante Aegyptios Hebræi quicquid meliorum artium fuit diuinitus acceperũt: Italia etiã Græciã æmula, non paſſa eſt, ſe virtute ſuperiorem, doctrina inferiorẽ eſſe: neq; ita potuit hæc ipſa noſtris temporibus præreptam Græcis laudem retinere, quin conſortem Galliam Germaniamq; atque Poloniam haberet: tamen nos maiore quidem ſtudio contendimus, non tamen æquali gloria, nõ religionis qua præſtamus: ſed doctrinæ atq; ingenij: id quod fit non regione atq; natura, ſed honoribus atq; præmijs. propterea quod Apud Italos, & magis honorantur qui ſunt literati: & multæ nobiliſſimæ maximæq; familiæ fuerunt: & adhuc ſunt, quæ gentem famamq; ſuam, doctrina illuſtriorem fore exiſtimarint. Tales ſi in veſtro noſtroque populo excitare poſſemus, aſſequeremur quod volumus: vt & conſeruaremus & confirmaremus doctrinarum commoditatem. Et quoniam pu

to in tui nominis fortunæq; amplitudine literas conquiescere isthic sæpe, & apud te quasi portum quendam habere: & tuo exẽplo multos excitari posse: volui hîc te affari, vt communibus temporibus consuleres, & quoad potes prouideres, ne quod cæteræ gentes non semper quidem conseruarunt, tamen diu retinuerunt, id Deus ab Italis & Gallis & nostris nationibus iusta de causa statim auferre, & illis vnde ablatum est restituere videatur. Argentorati Calend. Martij. M. D. XLI.

IN SECVNDVM M. T. CICERONIS volumen philosophicum.

IOANNIS STVRMII AD Ioannem Bonerum Seuerini filium præfatio.

DVAE causæ fuerunt, & adhuc sunt Ioannes Bonere, cur homines cœlestem vim Deumq; colant, atq; reuereantur. Vna

Vna natura ipſa: altera autoritas eſt. Beſtias enim quæ quidem vel cicurantur, vel hominis amantes ſunt, credo ſi loqui poſſent, homines deos appellarent: & quæ perpetuam feritatem retinent, Veiones furiasq; nominarent, cũ quibus nunquam queant conuiuere. Vtrunque etiam genus ſi agnoſceret vnde paſtus ſuos haberet, eum quem fulminãtem audiret, antequam cognoſceret quid eſſet, Deum eſſe diceret. Scio equidem non hæc rectè ſcirent: & illi qui Iouem Iunonemque nominarunt, etiam in erroribus iiſque maximis ſunt verſati. Sed tamen eſſe aliquid potentius quod ſupra ſe dominaretur, & quod ab omnibus animantium generibus metueretur, & quod amaretur à bonis, & negligeretur à malis, facilè cogitarent: et vel deum vocarent, vel aliud uerbum quod eodem pertineret, conſtituerent. Hac de cauſa propè nullæ aut gentes nationesque aut populi ciuitatesque ſunt, quæ cacarent religione: multosq; barbariſſimos homines legimus, quaſi ultro & ſua ſponte

cæremonias cultumq; cœlestis maiestatis instituisse. Quãobrem quidem mihi placet improbari Epicurum & Velleium à Cotta in his libris: falsa enim & impia dogmata habent: & in delegendo, quæ vehementiora argumenta erant sæpe prætermerunt: tamen quod leuis ratio sit, deos esse quia in omnium mentibus eorum notionem natura impressisset: id ego nego verissimè à Cotta dictum esse. Non enim idcirco leuis est hæc ratio, quia Diagoras ac Theodorus ἄθεοι fuerunt: & gentes quædam populique fuerunt, quos non profert, apud quos nulla fuit religio: sed quia propè omnes homines ita statuunt, quasi omnes statuerent, vniuersos statuere virum bonum prudentemque, præsertim cum vtile est quod statuitur, decet. Non leue argumentum naturæ est, qua duce ad Dei cognitionem peruenimus. Cœli.n. cursus: siderumq; et motus et stationes: et solis lunæq; splendor & vis: ignisq; in æthere corruscans, & aëris mutationes ac nubes abstractæ ab hominis spiritu, terræque

que firmitudo, & quæ in ipſa latent, et quæ ex ipſa erumpunt in eademque creſcunt: animantium quoque formæ atque vitæ: denique hominis admirabilis natura atque pulchritudo cum benè comparatus eſt: et cum non benè, tamen quod viuit, quod obtemperat, quod ratione vtitur, omnia hæc quæ in natura ſunt, eſſe cœleſte numen omnes homines docuerunt, qui quidem non beſtiæ potius quàm homines fuerunt. Nam quod de Diagora & Theodoro & cæteris dicitur: id ab ira Dei proficiſci exiſtimo, qui grauiſſimè uindicare ſolet, cum ex operibus ſuis agnoſcitur Deus, eſſe: & tamen metum religionemque in hominibus non inuenit. Non enim leuis pœna eſt, μεταλώσις διαλογισμῶν: καὶ σκότισθεὶς καὶ ἀσύνετος vos de quibus eſt apud veriſſimum doctorem, & ſalutarem interpretem Paulum. *Manet ergo adhuc firmum, aut omnes homines: aut quod bono viro eſt ſatis, propè omnes homines, à natura doctos eſſe quod Deus ſit: & ſi qui ſunt qui id non credunt,*

eos aut improbos nefariosq; post illam notionem atq; anticipationem factos esse: aut bestijs similes esse, nullaque vti ratione. Sequitur autoritas, quæ confirmatrix naturæ fuit: et in sempiternũ religionẽ stabiliuit. quæ principio summa primaq; fuit: postea ita degenerauit, vt nisi prima clarius nobis restituta esset, amisissemus omnẽ religionẽ deiq; intelligentiam. Adam & Noë et Abrahã, & Moyses Dei voce edocti, vniuersum populum cæremonias sacrosq; ritus, et Dei uoluntatẽ maiestatemq; cœlestem docuerunt. Ab his Chaldæi et Aegyptij etiam hanc disciplinã acceperũt, sed ut fit, & quia ita placitũ Deo fuit, statim ea corruperũt et occasionem posteris dederunt, eã magis corrumpendi. Translata etiã hinc in Africã et Asiam et Græciã vicinasq; gentes est: quæ vnà cũ cæremonijs & Deorum numerũ amplificarunt, et noua nomina finxerunt, & varias consuetudines introduxerunt. Ipsaq; Græcia occultatrix alienæ gloriæ cultum maiorem addidit, & Italos ad imitandum pro-

prouocauit: vnde per Galliam reliquasque Europæ gentes videtur fuisse propagata. Ita primo Deus ipse autoritatem constituit: inde qui voce Dei fuerunt instituti ad populum tulerunt: post ciuitates & populi & gentes atque nationes confirmarunt: in quibus error & superstitio, & ignoratio, omne lumen veritatis obscurarunt: atque adeò labefactarunt, non contemptu religionis, sed nugatorijs cæremonijs atque superstitione: vt docti postea, philosophique euellere inueteratas opiniones non potuerint, & tamen sint conati. qua in re plurimum obstiterunt poëtæ, qui sua doctrina vulgi errorem comprobarant, aut potius ipsi autores fuerant. Credo enim si Socrates non propositum habuisset illud suum ad extremum tenere, nihil vt affirmaret, de Dijs apertiorem sententiam dicturum fuisse, & Plato feciſſet idem, nisi leges obstitissent, quibus cautum erat non solum vt dij alieni non in Rempublicam

introducerẽtur: sed etiam vt ne illi abrogarentur tollerentúr ue qui indigetes erant, quiq; in concilio cœlestium esse legibus habebantur. Ac tametsi fieri non poterat vt veram intelligentiam diuinitatis consequerentur: tamen accessissent propius si nõ obstitisset autoritas, quæ ad tollendum & ad confirmandum valet sæpe nimium. Sed tamen ab omnibus philosophis diu multumq; in hac re laboratum est, & alius alio errauit minus, penè omnes autem eodem conten derunt, videlicet ad veritatem: à Socrate, vt opinor, excitati. qui in Theæteto Theodorum ad cognitionem Dei inflammans: in Deo inquit positum est, & quod multũ vir potest, & quod nihil potest, estq; ignauus. Dei enim cognitio, sapientia virtusque vera est: ignoratio autem inscientia est & uitium manifestum: cæterǽ verò facultates quæ sapientiæ assimulatæ speciem habent, in ciuilibus rationibus molestæ sunt, in cæteris artibus sordidæ. Verissima ista sententia est, & digna quam omnes philosopho-

rum

rum familiæ ſequi debebãt: & ſunt ſanè ſecutæ quidem propè omnes: ſed quoniam humanis oculis expoſita hæc res non eſt, et diuinitus in mentes hominũ immittitur: dum quid eſſet demonſtrare artificioſe uoluerũt, aberrarunt à uero: & aliquando ineptè, ſæpe impiè falſéque ſenſerunt. Quo magis noſtris temporibus Epicurei vituperandi ſunt: qui poſt tantam lucem veritatis, non adhuc verſantur ſolum in tenebris, ſed poſtquam etiam educti fuerunt, ad eaſdem ſunt reuerſi. Qua in re id dolendum eſt, impune noſtro ſeculo committere impuros & nefarios homines, quod olim ne his quidem, qui doctrina præditi fuerunt, facere licuit. Protagoras quoniam ſcripſit ſe dicere non poſſe, vt ſint Dij, & vt non ſint, eiectus Athenis eſt. non negauit eſſe, tamen quoniam non affirmauit, & dubitare videbatur pœnas dedit. noſtra autem ætate negare eſſe Deum, minore cum periculo coniunctum eſt, quàm affirmare Chriſti beneficia, & indicare ea quæ in eccleſia ſunt affirmanda.

In Gallia de vno atq; altero audio: in Italia publicè disputatur de animorum mortalitate: & honestas quæstiones esse putant: & palàm vtrinque affirmant, non disputandi causa, in quo esset quoque crimen (vetant enim etiam hi quos admirantur philosophi ἐλέσθαι τὰς τῶν χειρόνων ἠθῶν θέσεις) sed vt suos errores latius spargant, & ex inopinatis laudem sibi comparent. Nominare eos omnes non possum: sunt tamen aliqui mihi nominati: qui non eiusmodi neque oratores, neque poëtæ sunt, ut si mihi stomachum facere pergant, & Ecclesiam vastare, non possim illam literam capitibus ipsorum affigere quam semper metuerunt, propter scelerum conscientiam: sed eò contempserunt, quia neminem metuunt: tamen sentient ex ea dolorem, si vt dixi, pergãt sua hæresi sese apud vulgus hominum, & delicatulos atq; elegantulos venditare. Ignoſces mihi Iohan. Bonere, si hîc sim vehementior: noui homines, noui etiam loca in quibus versantur. habui aliquando bonam de ipsis spem: corruperunt

ruperunt ex amicis mihi aliquot, & metuo illi regioni ab his monstris, quam ego pro patria habeo: & eò magis doleo, quo confirmatior nostra religio est autoritate. Quid enim certius esse potest, Prophetarum libris? hi omnes de Deo & de Christo: quid de Euangelio? at id de ijsdem, & quidem illustrius. Habemus nostræ religioni inimicos homines Iudæos: at hi quandiu Moysem atq; Prophetas nobis concedunt, comprobant nostram religionem: verùm nostri Epicurei deteriores Iudæis sunt: & vtraque hæc contemnunt atque reijciunt. Nam quod dicunt se de Deo idem quod nos statuere, mendacium est. Qui enim immortalitatem animorum esse negant, & mortalitatem affirmant: mendacia nostra testimonia, & falsum Euangelium & vanos Prophetas esse ostendunt: ideoq; Deũ esse pernegant: nõ verbis fortassis aliqui, re ipsa tamen: et omnes videt quid ex his efficiatur: In hos seueriſsimè animaduertere debent, qui rectè ad Respub. accedere, & eas benè administrare

volunt. Sed duo sunt genera Epicureorum: vnum differentium, scilicet, qui se gloriam in nefarijs cogitationibus inuenturos putãt: ut Theodori: ut Diagoræ: ut Velleij: ut Cassij. alterum quod ita viuit, vt facilè constet putare ipsum temere oriri omnia atq; occidere, vt Clodij, vt Catilinæ, vt Verres olim erant: vt nostris temporibus, quos nominare non audeo. Nam qui Deum Christumq; esse statuunt: quoniam eum solũ bonũ, omnis boni autorem, verum, sapientẽ, conditorem omniũ rerũ: eum nobis apud se in cœlesti domicilio sedẽ præparasse: nosq; morte Christi hæredes simul cum Christo factos esse, et uicturos nos in sempiternũ cum cœlesti patre, qui principium, medium, finisque rerum est omnium, is amat eum, non odit: metuit, non desperat: reueretur, non negligit: colit, non violat: qui verò non hæc nouit: qui rectè uiuere non potest: & qui uitam degit scelerate, quomodo fieri possit, vt Deum esse credat? nisi credere sit semel audiuisse, & tum assensisse: postea verò nihil de ipso cogitare, ni-

nihilq; esse solicitum. Hæc ego eò ad te Bonere, vt quoniam tu ita vitam tuam instituisti, vt aliquando patriæ tuæ prosis: constituas neq; Velleianos, neq; Accerras ferendos in ciuitatibus esse. Hos verò libros propterea ad te mitto, tum quia clarissimũ uirũ patrem tuum primo libro appellaui, & in tertio Stanislaum fratrem tuũ: tũ quia audio te liberalissimè eruditũ et doctũ, in Germania & in Italia à Doctore Anselmo Ephorino, egregio viro, & nobilissimo Medico esse: vt tibi gratũ fore cõfidã consilium meũ: et odisse eos qui in Italia mentis immortalitatem conentur euertere. Habẽt autem præterea hi libri multas magnasq; vtilitates, & ad doctrinam & ad eloquentiam. Continent enim dogmata philosophorũ multa atq; præclara: historiã habẽt etiam multarum & insigniũ rerum: disserendi ratio retenta in his est academica, hoc est, diserta & copiosa: & argumentationes permultæ sunt, quædam subtiles atq; acutæ: quædã variæ atq; ornatæ, & ad confirmandũ &

ad refutandum: verba ipſa varia et delecta, & verè Romana: ex hiſq; ſententiarum formæ atq; figuræ elegantes, & ſignificantes, et decenter illuſtres atq; ornatæ. ita vt exiſtimem Theologiam latinā ex his libris multum poſſe non ornari ſolum, ſed etiam illuſtrari. Græci enim cum in alijs artibus atq; diſciplinis Romanos, nosq; plerunq; ſuperāt: tum in Theologia præcipue: propter Chryſoſtomum, & Baſilium, & Nazanzenum, cum quibus pauci Latinorum comparari poſſunt, nulli ſunt qui eos ſuperant. Eſt quidem Cyprianus copioſus, et ſæpe concinnus, acer etiam, atq; benè ſanus in argumentando Auguſtinus: & vires habet Tertullianus: ſed non tam ſalubrem ornatum adhibuerunt, vt Græci Theologi. Quamobrem velim adoleſcentes ex his libris ad noſtram religionem rerum verba formasq; deportare: qua in re opus eſt & monſtratore & iudicio. Itali enim quidam nimis pueriliter id ſunt conati: et pauciſſimi ſunt, qui non multum peccarint: ne Sadoletus quidem multis ſa-

satisfacit: tametsi princeps in eo genere, meo quidem iudicio extiterit, in his qui de religione aliquid scripserunt in Italia: quo fit vt verear, si temere adhibeantur, ineptus fiat ornatus: qui cum non decet, deformis est, & barbara tractatione turpior. Sed hæc ego fortasse liberius ad te in hoc amicitiæ nostræ principio: sed puto me ingenium tuum ex sermone Vuolphgangi Droschij, cuius ego & charitate delector, & doctrina ualde in collocutionibus recreor, perspexisse: malo peccare in hanc partē: & ipsa oratione statim indicare cuiusmodi sim, quàm stylo, quod non sum, dissimulare. Deus det dignos natura tua progressus, & firma ponat nostræ coniunctionis fundamenta: vt quemadmodum eodem seculo nati sumus, ita etiam consentientes, & sententias & voluntates retineamus. Argentorati Octauo Calend. Apriles. Anno

1541.